

IDEA BONI INTERPRETIS ET MALITIOSI CALUMNIATORIS QUAE...

Johann Conrad Dannhauer







VIRIS JUVENIBUS

QUA GENERIS NOBILITATE QUA ERUDITIONIS

ac Virtutis ornamento Præstantissimis, LL. Studiosis solertissimis

Dn. BARTHOLOMÆO MARCHTALERO:
Dn. JOH. CHRISTOPHORO ADLERO:
Dn. GEORG. SIGISMUNDO ADLERO:
Dn. JOH. FRIDERICO LERCHENFELDERO:
DN. JOH. WOLFGANGO PRASCHIO:
Ratisbonensibus,

Discipulis quondam suis, Contubernalibus, Consalinis, itineris Comitibus; nunc Fautoribus & Amicis optatissimis, suavissimis.

Τὸ ὑγιαίνειν.

N*Ostis è Romanâ historiâ* Animæ jucundissimæ, *quas parasitis suis canas instruxerit Heliogabalus, illa ultima sceleratorum linea sæpe; scili-*

cet cereas, nunc è ligno, mox ebore paratas, fictiles etiam atque marmoreas, dignas omnes Ixioniis illis suis, ut ipse nominabat, amicis: Cœnabat ille lautè ac splendidè, hi follicabant ac ruminabant è vento cibos: pavit ille stomachum, hi oculos: discessit ille bene potus ac panticibus suffartis, hi laxis lactibus, ut delicium vestrum Plautus loquitur, tanquam saturi manus aquâ mandarunt. Dignum convivium, quod ille exhiberet, hi exciperent! Non ego vobis olim, cum in Philosophiæ adhuc viretis me comite conficeretis spatia, Heliogabali instar præcepta proponere volui nuda ac sterilia; sed ut usum etiam, non solam usus picturam, vobis

vobis degustandam propinarem; has olim, quas typo nunc descriptas exhibeo, logicas observationes JENÆ prælegi, non ut Dædali aliquod opus præstarent, sed ut vestra studia, si non re, saltem voto prælegentis, juvarent. Illas quo animo audivistis, eo nunc à mortalitate certius vindicatas accipite, tanquam multis nominibus vestras. Etsi enim probibere vestro quodam jure possetis, ne in lucem prodiret, quod vos improbo labore descripsistis; si vel res ipsa invidenda, vel vos iniquo erga salutem publicam essetis animo: tamen qua ex causa vos editionem poßetis impedire, eâ magis ego accensus fui, vestrum nomen ut præscribe-

rem, non ſcilicet publicè conſtaret, non meæ liberalitatis ſed veſtræ eſſe, ſi quid emolumenti ad literas ex hoc labore accederet. Ac ut parvi hæc cauſa momenti ſit, tamen teſtimonio opus eſt tùm mihi veſtro, tùm vobis meo. Veſtro, *ut qui animi mei non dicam veſtigia ſed ipſa exploraſtis cubilia, teſtaremini quàm ægrè inclareſcendi prurigine afficiar, quàm, licet quotidiano amicorum convicio efflagitatus, difficulter tamen paruerim.* Meo *verò, ut ſignificarem, nondum veſtri me depoſuiſſe memoriam, nec potuiſſe tot montium intervalla dirimere amicitiæ noſtræ vinculum pluſquam adamantinum. Quid enim merear, quam-*

obrem


obrem vestri obliviscar? quamobrem ingratus ventis committam beneficia vestra, quibus me, maximè tùm, cum medico mihi opus fuit, estis prosecuti? ut nihil dicam de Tutorum vestrorum ac respectivè Parentum favore singulari ac amore quodam incredibili. His ego causis, quæ sensui meo, quamdiu ille ipse erit, infixæ ac insitæ manebunt, adductus fui, ut πϛοσφώνησιν hanc ad vos de me optimè meritos dirigerem, & simul, non in angulo atq; ad aurem, quod inficiandi genus est, sed in propatulo deprædicarem vestram in Deum pietatem, in musas diligentiam, in meliorem vitam probitatem ac sanctimoniam, in me denique studia & offi-

cia; quæ, nisi complecti infinitum, esset, complecterer singula. Accipite igitur exporrecta fronte munusculum vobis debitum, & vitam è vitâ trahite, atque ad eum scopum collineate sedulò, quem Vestri Consanguinei, summi Ratisbonensis Reipubl. Viri, prius spectarunt, quàm vos minati estis. Dabam Argentorati ipsis feriis Johannis Baptistæ Anno à mundo redemto M. DC. XXIX.

Vester tantus quantus est

M. JOH. CONR. DANNHAVVER,
P.L. & Prof. publ.

MONI-



MONITIUNCULA AD *Lectorem*



Viginti & duo anni ſunt, cum Juvenis adhuc Vicenarius hanc, quæ quarto nunc prelo ad literarum ideam cogitur IDEA boni diſputatoris & malitioſi Sophiſtæ, & in privatos meos uſus concinnavi, pòſt accedentibus alumnorum Philoſophiæ efflagitationibus, publici juris feci. gratum id qualecunque meum commodandi ſtudium feciſſe Juventuti ſtudioſę ex hâc quatrinâ præli fatigatione intelligo, ac ideò eadem ſpe fre-


tus, quartùm, ita rogante Typographo illud edo, nulla prope cum ſui mutatione: quanquam, ut ſunt τὰ ὕςερα σοφώτερα, Virilia juvenilibus coctiora, non defuiſſet, quod interpolarem, adimerem, adderem, niſi jam dudum in ſententiam illius Didaſcali iviſſem, qui dixit

Linquo coax ranis; cras corvis; vanaque vanis
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergò.

Interim quæ ad pleniorem facultatis diſputatricis uſum, & ſophiſticæ detectionem, in certaminibus Theologicis, ubi nunc domi

domi ſum, pertinent, in polemo-
ſophiam & Polemomoriam ſeu
Dialecticam ſacram conjeci, cu-
jus opuſculi confectionem, mi-
hi nuperrima ab eteſiis facta re-
ſpiratio, indulſit. Expectare te,
Lector Cordate, DEO volente,
jubeo, quod nunc polli-
ceor, & bene
valere.





Ad pagellarum supplementum addere juvat

Differentiam disputationis Dialecticæ & Rhetoricæ, quam terse ac eleganter exposuit Fab. Quintil. l. 5. c. ult.




Amque ego ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti nefas non duco, ita constare totam, aut certè consertam esse aggressionum & enthymematum stipatione, minimè velim. Dialogis enim & dialecticis disputationibus erit similior, quàm nostri operis actionibus, quæ quidem inter se plurimùm differunt, Namque illi homines docti, & inter

inter doctos verum quærentes, minutius & scrupulosius scrutãtur omnia, & ad liquidum confessumq; perducunt: ut qui sibi & inveniendi & judicandi vindicent partes, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Nobis ad aliarum judicia componenda est oratio, & sæpius apud omnino imperitos, atq; aliorum certè ignaros literarum loquendum est: quos nisi & delectatione allicimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus affectibus: ipsa quæ justa ac vera sunt, tenere non possumus. Locuples & speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequetur, si cõclusionibus certis & crebris, & in unam

in unam propè formam cadentibus concisa, & contemtum ex humilitate, & odium ex quadam servitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium tulerit. Feratur igitur non semitis, sed campis: non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed ut latissimi amnes totis vallibus fluat, ac sibi viam, si quando non acceperit, faciat. Nam quid lege miserius illa velut præformatas infantibus literas persequentiū, & ut Græci dicere solent, quem mater amictum dedit, solicitè custodientium? Propositio ac conclusio ex consequentibus & repugnantibus, non inspiret, non augeat, non mille figuris variet

riet ac verſet: ut ea naſci, & ipſa provenire natura, non manu facta, & arte ſuſcepta, magiſtrum fateri ubique videantur? Quis unquam ſic dicit Orator? Nonne apud ipſum Demoſthenem pauciſſima hujusmodi reperiuntur? Quæ apprehenſa Græci magis (nam hoc ſolum nobis pejus faciunt) in catenas ligant, & inexplicabili ſerie connectunt, & dubitata colligunt, & probant in confeſſa, & ſe antiquis per hoc ſimiles vocant.



PROOEMIUM.



VT duo ſunt diſciplinarum genera; quædam ſpectantia per ſe ſolum τὸ ἡδὺ; *jucundum*; per accidens autem & ex eventu, præterque ſuam naturam ad uſum aliquem facientia: ſicut culter cibicida per ſe factus eſt cibis ſecandis, nihilominus ex eventu lignis quoque findendis adhiberi ſolet: Quædam per ſe nata ad uſum, nulla futura, ſi hunc ab iis ſeparatarum iveris; illis prioribus philoſophiam, his poſterioribus Logicam annumero. Ita etiam duo ſunt in æſtimandâ rei dignitate ac pretio modi; duo itidem hominum æſtimantium genera. Quidam enim rem judicant ex dignitate nativâ, quam natura indulſit; quo pacto murem contemtiſſimum prætuleris precioſiſſimæ gemmæ, quod gradu aliquo, vitâ nimirum, ad primum ens (quod menſura eſt omnis perfectionis) vicinius ille accedat, quàm lapis: Alii rem appreciant ex uſu, quem habet in vitâ humanâ, quo ſine eam ne cum floccis quidem permutârint: de his licitatoribus *Auguſt. l.* 11. *de Civ: D. cap.* 16. ſcribit, *quis non mallet domi ſuæ habere panem, quàm mu-*

 res,

res, numos quam pulices? Ut ut vero bonorum utilium numero ſint plurima, neſcio tamen an quicquam homini, quà homo eſt, ad intellectualem vitam natus, optabilius eſſe poſſit accuratâ Logicæ cognitione. Cum lacte omnino nobis Mater noſtra propinavit ſciendi deſiderium, πάντες γὰρ τῇ φύσει εἰδέναι ὀρέγονται; magna tamen caligo obſcurat noſtrum intellectum, primi hominis vitio in nos derivata, ita ut illinc nobile deſiderium alliciat; hinc remoretur ſpiſſiſſima ignorantia. Male verò cum rebus humanis ageretur, ſi non divinitus medicinâ aliquâ nobis cautum eſſet, quâ adjuti appetitum noſtrum in tranquillo ponere poſſemus. Hoc enim me à quovis cordato facile impetraturum confido, eſſe omninò in mundo aliquod donum DEI, cujus beneficio non minori certitudine veritatem aſſequaris, (in iis rebus, quas nos ſcire & DEUS voluit & noſtra intereſt) quam, aut in erudito ſuo pulvere ſine errore demonſtrat Geometra, aut datis duobus numeris τὸ διδόμενον elicit Logiſticus. Audire enim quotidiè de τρόπῳ aliquo ἐπιστήμης tot ætatibus exculto, illuſtribus ingeniis nobilitato, qui, ut Minerva Diomedi (*Platonis hæc allegoria eſt in Alcibiade*) caliginem ab oculis prius abſterſit, veritatem densâ nebulâ involutam evolvat abſtersâ inſcitiæ rubigine: qui, funis inſtar, qui Anachoretæ illi cæco, quotidie aquatum exeunti (*de quo Raderus* part.3 virid cap.3. §.15.) pro ſole atque oculo fuit, omnes viæ, quâ ad veritatem graſſa-

graſſari ſolemus, difficultates explicet: tanta, inquam, encomia audire, & tamen non niſi ceſpitare ac labi poſſe, id verò eſſet audire fallaces Sirenum cantilenas,

ſine mente ſonos, caſſa & inania verba.

Improbo labore excolere illum ſciendi modum, veritatem verò captare ſemper, nunquam capere, id eſſet πετόμενα διώκειν, ut joculo *Ariſtoteles* ludit l γ. Metaph. c.5. t.21. & cucúrbitas pingere. Negat idem Philoſophus initiò ſuorum moralium appetitum, ſummi boni quí deſiderio tangitur, fruſtra haberi poſſe; negamus & nos, appetitum ſciendi nunquam aſſequi poſſe id, cui inhiat. Sumus quidem, proh dolor! à juſtiſſimo judice damnati ad ignorantiam rerum præclariſſimarum; non tamen ita damnati ſumus, ut non aliqua, quæ ad ejus gloriam noſtrique uſum pertinent, ſcire detur; & ea quidem citra erroris lapſum: modò ne vilia nobis nimiùm ſint ac ſordeant illa media, quæ natura inſculpſit, & excolere juſſit. Hæc enim

Κέρατα ταύροις,
ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
ποδωκίην λαγωοῖς
λέουσι χάσμ' ὀδόντων,
τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν,
τοῖς ὀρνέοις πετᾶσθαι;
Quid verò hominibus?
τοῖς ἀνδράσι φρόνημα.

Anacr. Tejus. confer Ariſt. l.4. de part. anim. c.10. Et ſanè, niſi tale aliquod DEI donum exiſteret, quô de veritate inventâ reddaris certus, quomodo non haberet poſſent in die noviſſimo ſuæ hæreſεως aliquod mantellum illi, qui è ſcripturâ

ſuas hæreſes non melius intellectâ defendere conati ſunt; reſpondebunt illi, Domine, noſtram ſententiam è verbo tuo hauſimus. Tum ille: ſed ut è roſeto ſuum virus araneæ. Regerent hi, atqui nos aliter ſcripturam non intelleximus: Veſtrum hoc vitium eſt, inquiet Judex, quod vobis intriviſtis ipſi exedetis. Cur enim θεοςυγεῖς vos Rom.1.30. media tùm dextrè intelligendi, cùm rectè concludendi ex intellectis, quæ vobis DEUS & natura indulſit, ſuſque deque habuiſtis? Ideò etiam *D. Apoſtolus Paulus* poſtquam cap. 1. ad Rom. prolixè in notitiarum innatarum commendationem ivit, tandem concludit in fronte cap. 2. διότι ἀναπολόγητος, quapropter inexcuſabilis &c. Neque, dum ſciendi certitudinem aſtruo, hoc volo, nihil prorſus nos latére poſſe, non Ariſtotelem damno, non alios primæ caveæ philoſophos, qui multis querimoniis ignorantiæ noſtræ neceſſitatem deplorarunt: ſed caveo, ne quis ſub illius prætextu ignaviæ ſuæ patrocinium quærat. Sunt omninò quædam, quæ nos neſcire voluit Magiſter optimus, quia fortaſſis non eſt è re noſtrâ ea noſſe; in his eruendis tempus perdere nullus docuerim, amens enim ſim, ſi laterem lavare jubeam: ſunt tamen & alia quæ DEUS voluit ne neſciamus, in his nos exerceri, ac ſudare humanum genus, æquum eſt.

Hæc cum ita certa ſint, quàm tum muſcarum eſſe plurimum, cum caletur maximè, illi rectiſſimè in hoc errorum humanorum labyrintho & felici-

feliciter se expediunt, qui novi Thesei de Ariadnæo aliquo filo sibi prospiciunt, quod in omni veritate Logicâ est, eorum, quæ scientiæ acquirendæ instrumenta vulgò habentur, longè utilissimum. In gratiam igitur *eorum* qui usu rerum omnium dignitatem metiuntur, artificium Analyticum seu disputatorium (neque enim mens est integram logicam recudere) conscribere placuit, quo Tyrones adjuti non in philosophiâ solùm, sed & superioribus Facultatibus rectè progredi, bene disputare, omnem item Sophisticam emasculare feliciter, doceantur? Veritatis hæc studiosis in lucem edo, non illis, quibus vel humaniora isthæc sordent, vel thesaurus in linguâ situs est,

Vt quæstui habeant bene loqui melioribus. Plaut, in Pœn.

Pythagoras, *teste Iosepho* l.1. contra Apion. fertur præcepisse amico suo (nomine Calliphonti, genere Crotoniati) agonizanti, caveret, ne ejus anima transiret locum, ubi asinus lapsus esset, veritus scilicet μετεμψύχωσιν. Idem ego moneo illos solidæ eruditionis ac bonarum literarum osores; Calumniatores verò hortor, ne vitâ defuncti transeant locum, ubi canis exuviæ inhumatæ jacent. Quia verò boni etiam nihilque minus quàm calumniam spirantes, dicere possent lecto titulo.

Quid feret hic tanto dignum promissor hiatu?

Eos ego initio scire velim, ægerrimè me accessisse ad hoc argumentum nonnihil invidiosum,

& conſtituiſſe quidem premere illud in nonum uſque annum. Inſtiterunt tamen Magni etiam Viri, prodeſſem publicè, nec ſepelirem ſub modio, quæ mihi cunque DEUS credidiſſet. Tanti tamen apud me non fuiſſent habita hæc incitamenta, ut inclareſcendi ſtudium affectarem per nobiles inimicitias: niſi humanitatis eſſe perſuaſus fuiſſem, indicare ſcopulos, in quorum duritiem pedem impingunt plurimi. Apud *Hermogenem Rhetorem* pictor aliquis Diis marinis in porticibus ſuæ patriæ ſuſpendit naufragii picturam, ut deſinerent exotici hoc malo perterriti in portus infelices appellere; accuſatus eam ob rem à civibus ſuis, quiritantibus, commercia impediri, non advehi peregrinas merces: ille defendit ſe lege humanitatis, quod conſentaneum ſit hominum naturæ, ut caſus humani oculis omnium ſubjiciantur; Pictorem hunc ego ſum ſecutus: In meos hos commentarios quicquid dicetur, id in illo quoque reprehenſum fuit: ſed ut abſolutus ille cordatiorum judicio fuit, ita æquioribus me ſatisfacturum exiſtimo; naſutuli quid carpant, ego ciccum non interduim.

SECTIO-

SECTIO PRIMA DE BONO DISPUTATORE IN GEnere, quoad ejus requisita & præcognita.

Caput I. Articulus I.

De Disputationum necessitate.

§. 1. CONstat initiò apud plerosque, Disputationes in θέσει ac infinitè de iis loquendo, necessarias esse, nec unquam è genere humano eliminandas, quod 1. facultas disputatoria æquè homini naturalis sit, ac musica, vel alia aliqua *hominis* naturalis potentia. Cum enim homo natura sit animal συγκοινωνικὸν, quod omnem vitam in mutuâ conversatione fallit: fieri autem nequeat, de rerum veritate omnes convenire, perinde ut de precio in velabro olearii: hinc oriuntur certamina ficta, uno asserente id, quod in quæstionem venit, altero negante; idque ita comparatum est ex naturali necessitate. 2. sed & alia necessitas est ipsius finis. veritas enim sine disquisitione prævia vix acquiritur, quod λύσις τῆς ἀπορίας sit εὕρεσις τῆς ἀληθείας. Si homo ut à natur â videt, sic à naturâ omnem veritatem scire posset, si investes etiam pueri statim philosophi essent, tùm nullâ opus foret ulteriori disquisitione; at major mentis nostræ cæcitas est, cui artificium analyticum denegare, quid est aliud, quam homini cæco

medicinam invidere? Ut nihil dicam, quod artificium istud auctoritate Christi & Apostolorum, quô suos adversarios impugnatum ivere, quasi canonisatum & sanctum redditum fuerit.

§. 2. Perperam igitur & minùs politicè suadet Bodinus, ut leges in Republicâ ferantur de abrogandis disputationibus circa religionem, id enim esset lege prohibere medicos à curâ morborum, atque ipsam naturam cogere velle, cum tamen leges fieri non possint, nisi de iis, quæ in nostra sunt potestate. *Nec obstat*, ejusmodi certamina scholastica esse flabra quasi publicarum turbarum. Non enim nego occasionem illa præbere posse seditionibus, sicut peregrinatio Antonio Cleopatram conciliavit: Persia, cum eam intrasset Alexander Magnus, virum mutavit. Id verò non magis probat, disputationes abrogandas esse, quàm peregrinationes inhiberi oportere, quod ex illis sequantur multa incommoda; rerum certè præclarissimarum maximus semper abusus est. Atque ne nescias, illæ turbæ non è disputationibus nascuntur, sed ex affectibus, φιλονεικία, φιλοδοξία &c. quos à nostro disputatore nos longè abesse volumus. *Nec hilo melius est* id, quod alii ingerunt, disputationibus scilicet involvi veritatem, non evolvi, intricari non extricari. Sed quibus? barbaris illis, inartificiosis ac sine lege fluentibus vitilitigationibus, illis scilicet, ubi οὐδεὶς οὐδενὸς ἀκούει sicut apud cyclopas, ubi

pal-

palmam refert, qui à linguâ optimè instructus est, Quin potius, ut contra inartificiosam digladiandi rationem, athleticam, nonnulli discunt, quâ adjuti non incerti dimicent, sed indubitatò vel cedant, vel ictum exeant; Ita arte aliquâ nos munire debemus, quâ sophisticæ omne velum detrahatur, veritas in lucem protrahatur. *Valdè certe aut temerarium aut ingratum esse oportet*, verba sunt Augustini, l. contra Crescon. cap. 13. *qui vel imperitiam, quâ vincitur, non refrænet: vel doctrinam, quâ juvatur, accuset.*

§. 3 Illud etiam liquet, ad hypothesin descendendo, mandatum esse officium elencticum, quod disputando exeritur, iis, qui in statu hieratico versantur, quorum est δυνατὸς εἶναι, ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν τοὺς ἀντιλέγοντας, quo pertinet *Paulinum* illud λογίζεσθαι Rom. 3. 28. διαλέξασθαι, Actor. 17. 2. συζητεῖν Actor. 9. 29. συμβιβάζειν. & 22. solum illud maximè controvertitur: *An Laici etiam in controversias fidei inquirere disputando debeant, vel jure possint?* Pro affirmativâ hæc sunt argumenta 1. Qui possunt in concilio judicare & sententiam dicere, iidem etiam possunt de controversiis fidei disputare. Id verò prius Laici possunt, ut patet ex Concilio primo Apostolico (*à quo formam acceperunt omnia alia concilia*, asseverante ipso *Bellarmino* l. 2. de concil. cap. 2. & meritò, cum primum in uno quovis genere sit mensura reliquorum) in illo autem Laicos disputasse, constat 1. quia, qui cum Paulo congressi

 sunt,

ſunt, fuerunt nuper converſi Judæi, non certè Apoſtoli, aut Doctores Eccleſiæ, quia 2. tacuit πᾶν πλῆθος, Ergo antea finem contentionis duxit loquendo. Eandem autem ſententiam dixiſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod dicitur: viſum eſt nobis Apoſtolis ſcilicet, presbyteris & Fratribus univerſis. nec eſt ratio, cur τὸ ἔδοξε reſpectu illorum expreſſum, horum tacitum conſenſum denotare debeat: Fruſtra hic eadem ratio comitiorum & conciliorum fingitur, nam quia in Comitiis definitur, quid è re totius communitatis conjunctim ſumtæ ſit, in Conciliis quid ſingulis ſingulatim acceptis conducat, illic quod proceres faciunt, id populus feciſſe judicatur, non item hîc, ubi ſuâ cuique fide vivendum eſt, 2. Laici aut tenentur omnia credere anſerinâ ſimplicitate, quæcunque illis è ſuggeſtu dicuntur, aut aliqua ſolum. *ſi prius*, E. 1. etiam tenebuntur credere contradictoria; tantò enim probabilius eſt homines naturâ mendaces, præſertim extra ſcripturæ Sacræ lineam aberrantes, vel ſemel ſibi contradicere, quantò ad peccandum procliviores ſunt, quàm ad rectè agendum. Si tenentur contradictoria credere, tenebuntur etiam credere ſe credendo non credere, ſi id à paſtore eis proponeretur. Ergo 2. etiam tenebuntur credere falſa. Eſto quod poſitis omnibus ad intelligendum requiſitis de contraria veritate ſint convictiſſimi. *Si aliqua* ſolum, cur illis fidem debent non pariter his? ideò ſanè, quia illa proprio judicio

cio analytico vera esse judicant, hæc autem à veritate abludere. Dices ex *Bellarmin.* l. 1. de Cler. cap. 7. *Cum pastor ordinarius & aliquis alius, qui prædicat non vocatus, contraria docent, debet omninò populus pastorem suum sequi potius, quàm illum alterum, qui non est pastor, etsi forte contingeret, ut pastor erret.* Hoc est, oscitante uno debet oscitare & alter. Sed quæ ratio hujus effati? *Dices*, quia in dubiis sequendum est judicium practicum. Respon. in iis hoc militat, ubi quis sine peccato dubitare potest: constat autem, in actionibus cum primis spiritualibus, peccatum id omne esse, quod ex fide non est, id est, quod prodit ex vacillante conscientiâ, ut interpretatur *Becanus* tr. dē lib. arbitr. quæst. 10. num. 12. At, *inquis*, Laicos ideò disputationibus debere prohiberi, quod disputare nesciant: nam

Navem agere ignarus navis timet, abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare, quod medicorum est.

Resp. 1. Invertendo argumentum. Ut enim in casu necessitatis miles, etsi athleticam nunquam sit doctus, pugnare tamen tenetur ex illâ solum facultate, quā naturæ debet: Ita Laicus, qui etiam miles Christianus est, stans in perpetuis excubiis contra quascunque machinationes Diaboli, is ubi periclitatur de fide suâ ad salutem ei necessariâ; vel illa solum disquirendi facultate uti debet, quâ natura eum munivit, contra tot lubricas erroris vias: neque indoctus ille est, qui à Deo doctus est, & illuminatur, ut est omnis ex DEI verbo rena-

renatus Johan. 6.45 e g. concionetur pontificius, hominem justificari ex operibus legis, non hic opus abire Romam, sed opponit Laicus etiam dictum Pauli, homo non justificatur ex operibus legis. Quæ duo sibi cum contradicant, nihil ipsi facilius est, quàm discernere verum à falso.

ARTICULUS II.

De normâ Disputatoris.

§. 4. Sequitur suam Mercurialem statuam viator, plectro suos gressus conformat saltator, suam ideam Architectus semper in obtutu habet, & verò patienter cordati concoquere cogantur illam vagam disputandi rationem, quæ sine certâ normâ ac ordine

Per sylvas, saltusq; & inhospita tesqua ferarum,
Per montes, per aquas, & per prærupta vagatur?

Multi, quod materia de quâ disputant vel Theologica vel juridica sit, negant, se teneri disputare logicè, de formâ neminem debere sollicitum esse, non esse ejus judicium rem tanti momenti; *Cresconius Augustini* Antagonista postquam satis diu disputasset, vel verius splendidè nugatus esset, & verò Hipponensis Episcopus artificiosè ejus ictus excepisset*, tandem negavit, cum hoc disputandum esse, quia sit dialecticus. Cui *Augustinus* respondet, l. 1. cap. 14. *ejusmodi homines indoctis prætendere fallaciam, doctis facere injuriam.* alii ferre non possunt examinari ea, quæ se

putant

putarit ex ſcripturâ deduxiſſe, quaſi quod Theologus omnis ex ſcripturâ ſe probare comminiſcitur, id pro verbo DEI exoſculandum ſit ſine ulteriori examine. Quin potius diſpiciendum, an bonâ conſequentiâ talis concluſio ex tali principio fluat? Si enim juſta illa ſit, non jam Theologi, eſt, ſed ipſius DEI, verbum ac ſententia quod concluſio non realiter differat à præmiſſis. Sin ἀσυλλογίστως eliciatur, jam Theologi quidem ſententia eſt, ſed non Theologica; ut ludibrium omnibus doctis jam olim debuerit *Calvinus*, quando l. 3. inſtitut. cap. 23. § 8. & ſeqq. ſcribit, *non fit naturaliter, ſed Dei conſilio, ac ordinatione, hominem labi*, mox, *fit naturaliter & proprio hominis vitio ut à ſe ipſo lapſus naturam ſumat.* Item: *DEVS neceſſitatem infert ad peccandum*, & tamen *propria malitia homo naturam corrumpit*, cumque ſatis diu ſibi occinuiſſet, tandem concludit, *contradictionem in his velle ſtatuere, eſſe rationis modulo ſubjicere velle quod immenſum eſt.* Sicut & alibi Schvvenckfeld, effutit illud Arcadiâ patriâ dignum, *hæc ſi philoſophia credere non vult; quis moratur?* quaſi, quod Calvinus dixit; id ideò ad rationis ſcrutinium revocari non debeat, quia qui dixit, Theologus fuit. Parùm abit ab hâc redargutione *Bellarminus*, is quidem ſcribit lib. 1. de ſacram. Euchar. c. 9. *Scholaſticos doctores longè melius noſſe contradictionum regulas, quam omnes Lutheranos, qui contemnunt ſubtilitatem diſputandi*; ſed ſui oblitus l. 1. de purgat. cap. 4. ex loco Matthæi, *purgatorij aſſertio-*

ſertionem ſequi, ait, non ex regulis dialecticæ conſequentiæ, ſed prudentiæ ſolum, idem hoc, ac ſi diceres, te additionem numerorum facere non quidem ex regulis arithmeticis, ſed geometricis; Quæſtio igitur eſt, rectène *reſpondeat. qui negat, ſe logicè diſputare, ſed attentum eſſe materiæ* (Theologicæ, Juridicæ) *ſive, an diſputationes ſuperiorum facultatum ad amuſſim logicam examinari debeant?* priori negato poſterius aſſerimus, quia diſputator ſecus fuerit 1. *injuſtus*, ut cum religio ipſi ſit impingere in leges grammaticas, interim impune nectat ex arenâ conſequentias, aut compingat ægrorum ſomnia potius, quam ut dialecticè quid efficiat. Si enim turpe non eſt homini docto jus quaſi audire à gramaticâ, cur indecorum ſit idem accipere à logicâ? I*ngratus*, qui ſuſque deq; ferat illam normam, quâ nos in hoc humanorum errorum labyrintho munire natura voluit: laudat ſanè Chriſtus Scribam illum Marc. 12.34. quod νουνεχῶς reſponderit. 3. *nimis de ſe abjectè ſentiens*, dum nullo diſcrimine ſuam diſputationem ſejunctam eſſe vult à Titiæ aut Cajæ alicujus de re aliquâ altercationibus. Ut nihil nunc dicam de monſtris, quæ parit illa vaga ac ſine lege oberrans diſputandi ratio: de ambagibus ſine nervo; quando enim in rem præſentem venitur, plures audias declamantes, quàm nervosè ſtringentes. Quid monſtri parturiat logicæ ignorantia, vel unico illo Medici Paracelſiſtæ, cujus mentionem ingerit *Clariſſ. Hornejus* l. de proceſs. diſp. cap. 3. exemplo eſt conſpicuum: is

enim

enim vidit accidens è ſuo ſubjecto rejectum in pavimento jacere, immò febrim ipſam febricitantem, quia ſcilicet neſcivit differentiam inter ſubſtantiam & accidens.

§. 5. *Regerent illi, ſufficere ipſis logicam naturalem* Reſp. ſufficit illa quidem rudibus, minimè verò iis, qui ſupra vulgus aliquid ſapere laborant, quos in ſuâ ſcientiâ certiores eſſe oportet & promptiores: ſemper autem certius, expeditius, & promptius agit qui ex habitu agit, quam qui ſoli ſuæ naturæ fidit. Quîd verò, dicent, jus audiet à logica Juriſprudentia? num Theologicas controverſias ratione magiſtra dialectica judicabit? Hoc eſt quod *Cornel. Martin.* ſcribit, in anal. cap. 5. quæſtionem hujusmodi magis eſſe odioſam quam difficilem. Reſpondeo autem, non hoc nos dicere, dialecticam normam eſſe ſcripturæ S. aut Theologiæ, quâ talis eſt, ſed conſequentiarum, collectionum &c. quæ ab hominibus fiunt, illis ſcilicet, qui ibi, ubi erratur, nati ſunt: non imperat logica ſed indicat: argumento ſit, quod ſuos Canones plerumque in modo indicativo non imperativo pronunciat, ne videatur cuiquam facultati velle jus dicere, ſed indicare ſcopulos, in quos impingere poſſit, ſi ſe contemtim habeat. Ut verò toti controverſiæ major lux affulgeat, notetur, Judicium diſcretivum de re aliqua duplex eſſe, 1. reale, quô res ipſa in ſuis terminis intelligitur, & quaſi ſeipsô dividit verum à falſo, 2. *Modale*, quo efficitur, ut in judicio reali quis

quis ſtare & ὀρθοποδεῖν ſive rectè procedere poſſit, e.g. Muſica eſt norma quaſi realis ac judex ſaltationis, ut tamen ipſam muſicam calleas, & fides artificiosè pulſare poſſis, id aliunde tibi diſcendum eſt, ex eâ ſcilic. normâ, ex cujus præſcripto citharæ pulſandæ ratio pendet. prius illud judicium logicæ nullus concessero, non tamen ideò poſterius ei denegari debet *Dices*; eo modo diſputandum eſſe, quo Chriſtus & Apoſtoli cum ſuis adverſariis egerunt, qui diſputandi modus non fuit ſyllogiſticus, non analyticus, non Ariſtotelicus.

§. 6. Reſp. I. *Invertendo argumentum*: Quomodo Chriſtus diſputavit, eodem & nos uti oportet, atqui diſputavit ille non inartificiosè ac inepte, quod aſſerere, blaſphemia ſit; non etiam miraculosè & extraordinariè: ſed modo diſputandi eo, qui tùm apud homines erat uſitatus, dialogiſtico, in Judæam è Platonis ſcholâ derivato. Et virtualiter ſyllogiſtico, ſicut infra in auctario oſtendemus. Ergò & nobis fraudi non ſit, ſi eo diſputandi artificio utamur, quod nunc in ſcholis noſtris receptum & frequentatum eſt, ſyllogiſtico nimirum, ſuis numeris expreſſo, præſertim cum inventis frugibus glandibus non debeamus veſci. Atque ut non ſequitur, Chriſtus docuit parabolicè, illo ſcilicet docendi genere, quod tùm in Palæſtinâ obtinuit. Ergò eodem, non alio, docendi modo noſtris doctoribus uti licet, quia ſecus omnes patrum homiliæ, conciones itidem
hodi-

hodiernæ damnandæ fuerint. Ita male argumentum procedit contra nobis consuetam disputandi methodum. 2. Etiam Christus logicè disputavit , quod explicandum est negativè; id est contra logicam nostram & regulas dialecticas nuspiam impegit. Quando enim dialecticam disputandi rationem urgemus; non hoc volumus, quod syllogismis meris explicitis agendum sit ; iis terminis respondendum ; qui hodie recepti sunt: sed inter doctos occultari artificium permittitur. Ita syntacticè loquitur non is solum ; qui constructiones eo ordine proponit , quo artificium construendi requirit; sed is etiam ; qui hoc artificium latere sinit; modò ne quid contra grammaticas regulas proferat.

§. 7. Ex his præsuppositis fluit decisio duarum illusttium controversiarum *1. Cuius sit judicare de contradictione in superioribus facultatibus occurrente?* Resp. Judicium de contradictione vel formale solùm est & modale, vel materiale. Formale logicum est, quod statuit in genere de ejusmodi propositionibus, quod simul veræ esse non possint : quando justa fiat oppositio, quando minus? nescit tamen in actu exercito hanc vel illam esse contradictionem talem, prout ejus leges requirunt ; quia contradictionem nosse est terminos nosse, rerumque essentias; quid penes se ferre possint, quid non? penetrasse. hinc scribit D.

& constituisse quidem premere illud in nonum usque annum. Institerunt tamen Magni etiam Viri, prodessem publicè, nec sepelirem sub modio, quæ mihi cunque DEUS credidisset. Tanti tamen apud me non fuissent habita hæc incitamenta, ut inclarescendi studium affectarem per nobiles inimicitias; nisi humanitatis esse persuasus fuissem, indicare scopulos, in quorum duritiem pedem impingunt plurimi. Apud *Hermogenem Rhetorem* pictor aliquis Diis marinis in porticibus suæ patriæ suspendit naufragii picturam, ut desinerent exotici hoc malo perterriti in portus infelices appellere; accusatus eam ob rem à civibus suis, quiritantibus, commercia impediri, non advehi peregrinas merces: ille defendit se lege humanitatis, quod consentaneum sit hominum naturæ, ut casus humani oculis omnium subjiciantur; Pictorem hunc ego sum secutus; In meos hos commentarios quicquid dicetur, id in illo quoque reprehensum fuit: sed ut absolutus ille cordatiorum judicio fuit,, ita æquioribus me satisfacturum existimo; nasutuli quid carpant, ego ciccum non interduim.

SECTIO-

SECTIO PRIMA DE BONO DISPUTATORE IN GEnere, quoad ejus requiſita & præcognita.

CAPUT I. ARTICULUS I.

De Diſputationum neceſſitate.

§. 1. CONſtat initiò apud pleroſque, Diſputationes in θέσει ac infinitè de iis loquendo, neceſſarias eſſe, nec unquam è genere humano eliminandas, quod 1. facultas diſputatoria æquè homini naturalis ſit, ac muſica, vel alia aliqua *hominis* naturalis potentia. Cum enim homo natura ſit animal συγκοινωνικὸν, quod omnem vitam in mutuâ converſatione fallit: fieri autem nequeat, de rerum veritate omnes convenire, perinde ut de precio in velabro olearii: hinc oriuntur certamina ficta, uno aſſerente id, quod in quæſtionem venit, altero negante; idque ita comparatum eſt ex naturali neceſſitate. 2. ſed & alia neceſſitas eſt ipſius finis. veritas enim ſine diſquiſitione prævià vix acquiritur, quod λύσις τῆς ἀπορίας ſit εὕρεσις τῆς ἀληθείας. Si homo ut à naturâ videt, ſic à naturâ omnem veritatem ſcire poſſet, ſi inveſtes etiam pueri ſtatim philoſophi eſſent, tùm nullâ opus foret ulteriori diſquiſitione; at major mentis noſtræ cæcitas eſt, cui artificium analyticum denegare, quid eſt aliud, quam homini cæco

medicinam invidere? Ut nihil dicam, quod artificium istud auctoritate Christi & Apostolōrum, quô suos adversarios impugnatum ivere, quasi canonisatum & sanctum redditum fuerit.

§. 2. Perperam igitur & minùs politicè suadet Bodinus, ut leges in Republicâ ferantur de abrogandis disputationibus circa religionem, id enim esset lege prohibere medicos à curâ morborum, atque ipsam naturam cogere velle, cum tamen leges fieri non possint, nisi de iis, quæ in nostra sunt potestate. *Nec obstat*, ejusmodi certamina scholastica esse flabra quasi publicarum turbarum. Non enim nego occasionem illa præbere posse seditionibus, sicut peregrinatio Antonio Cleopatram conciliavit: Persia, cum eam intrasset Alexander Magnus, virum mutavit. Id verò non magis probat, disputationes abrogandas esse, quàm peregrinationes inhiberi oportere, quod ex illis sequantur multa incommoda; rerum certè præclarissimarum maximus semper abusus est. Atque ne nescias, illæ turbæ non è disputationibus nascuntur, sed ex affectibus, *φιλονεικία, φιλοδοξία &c.* quos à nostro disputatore nos longè abesse volumus. *Nec hilo melius est* id, quod alii ingerunt, disputationibus scilicet involvi veritatem, non evolvi, intricari non extricari. Sed quibus? barbaris illis, inartificiosis ac sine lege fluentibus vitilitigationibus, illis scilicet, ubi *ὐδεὶς ὐδενὸς ἀκύει* sicut apud cyclopas, ubi pal-

palmam refert, qui à linguâ optimè instructus est, Quin potius, ut contra inartificiosam digladiandi rationem, athleticam, nonnulli discunt, quâ adjuti non incerti dimicent, sed indubitatò vel cedant, vel ictum exeant; Ita arte aliquâ nos munire debemus, quâ sophisticæ omne velum detrahatur, veritas in lucem protrahatur. *Valdè certe aut temerarium aut ingratum esse oportet*, verba sunt Augustini, l. contra Crescon. cap. 13. *qui vel imperitiam, quâ vincitur, non refrænet: vel doctrinam, quâ juvatur, accuset.*

§. 3. Illud etiam liquet, ad hypothesin descendendo, mandatum esse officium elencticum, quod disputando exeritur, iis, qui in statu hieratico versantur, quorum est *δυνατοὺς εἶναι, ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν τοὺς ἀντιλέγοντας*, quo pertinet *Paulinum* illud *λογίζεσθαι* Rom. 3.28. *διαλέξασθαι*, Actor. 17. 2. *συζητῆσαι* Actor. 9. 29. *συμβιβάσαι*. & 22. solum illud maximè controvertitur: *An Laici etiam in controversias fidei inquirere disputando debeant, vel jure poßint?* Pro affirmativâ hæc sunt argumenta 1. Qui possunt in concilio judicare & sententiam dicere, iidem etiam possunt de controversiis fidei disputare. Id verò prius Laici possunt, ut patet ex Concilio primo Apostolico (*à quo formam acceperunt omnia alia concilia*, asseverante ipso *Bellarmino* l. 2. de concil. cap. 2. & meritò, cum primum in uno quovis genere sit mensura reliquorum) in illo autem Laicos disputasse, constat 1. quia, qui cum Paulo congressi

A 5 sunt,

ſunt, fuerunt nuper converſi Judæi, non certè Apoſtoli, aut Doctores Eccleſiæ, quia 2. tacuit πᾶν πλῆθος, Ergo antea funem contentionis duxit loquendo. Eoſdem autem ſententiam dixiſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod dicitur: viſum eſt *nobis*, Apoſtolis ſcilicet, presbyteris & Fratribus univerſis, nec eſt ratio, cur τὸ ἔδοξε reſpectu illorum expreſſum, horum tacitum conſenſum denotare debeat: Fruſtra hîc eadem ratio comitiorum & conciliorum fingitur, nam quia in Comitiis definitur, quid è re totius communitatis conjunctim ſumtæ ſit, in Conciliis quid ſingulis ſingulatim acceptis conducat, illîc quod proceres faciunt, id populus feciſſe judicatur, non item hîc, ubi ſuâ cuique fide vivendum eſt, 2. Laici aut tenentur omnia credere anſerinâ ſimplicitate, quæcunque illis è ſuggeſtu dicuntur, aut aliqua ſolum. *ſi prius*, E. 1. etiam tenebuntur credere contradictoria; tantò enim probabilius eſt homines naturâ mendaces, præſertim extra ſcripturæ Sacræ lineam aberrantes, vel ſemel ſibi contradicere, quantò ad peccandum procliviores ſunt, quàm ad rectè agendum. Si tenentur contradictoria credere, tenebuntur etiam credere ſe credendo non credere, ſi id à paſtore eis proponeretur. Ergo 2. etiam tenebuntur credere falſa. Eſto quod poſitis omnibus ad intelligendum requiſitis de contraria veritate ſint convictiſſimi. *Si aliqua* ſolum, cur illis fidem debent non pariter his? ideò ſanè, quia illa proprio judi-
cio

cio analytico vera esse judicant, hæc autem à veritate abludere. Dices *ex Bellarmin.* l. 1. de Cler. cap. 7. *Cum pastor ordinarius & aliquis alius, qui prædicat non vocatus, contraria docent, debet omninò populus pastorem suum sequi potius, quàm illum alterum, qui non est pastor, etsi forte contingeret, ut pastor erret.* Hoc est, oscitante uno debet oscitare & alter. Sed quæ ratio hujus effati? *Dices*, quia in dubiis sequendum est judicium practicum. Respon. in iis hoc militat, ubi quis sine peccato dubitare potest: constat autem, in actionibus cum primis spiritualibus, peccatum id omne esse, quod ex fide non est, id est, quod prodit ex vacillante conscientiâ, ut interpretatur *Becanus* tr. de lib. arbitr. quæst. 10. num. 12. At, *inquis*, Laicos ideò disputationibus debere prohiberi, quod disputare nesciant; nam

Navem agere ignarus navis timet, abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare, quod medicorum est.

Resp. 1. Invertendo argumentum. Ut enim in casu necessitatis miles, etsi athleticam nunquam sit doctus, pugnare tamen tenetur ex illâ solum facultate, quâ naturæ debet: Ita Laicus, qui etiam miles Christianus est, stans in perpetuis excubiis contra quascunque machinationes Diaboli, is ubi periclitatur de fide suâ ad salutem ei necessariâ, vel illâ solum disquirendi facultate uti debet, quâ natura eum munivit, contra tot lubricas erroris vias: neque indoctus ille est, qui à Deo doctus est, & illuminatur, ut est omnis ex DEI verbo rena-

renatus Johan. 6.45 e g. concionetur pontificius, hominem justificari ex operibus legis, non hic opus abire Romam, sed opponit Laicus etiam dictum Pauli, homo non justificatur ex operibus legis. Quæ duo sibi cum contradicant, nihil ipsi facilius est, quàm discernere verum à falso.

ARTICULUS II.

De normâ Disputatoris.

§. 4. Sequitur suam Mercurialem statuam viator, plectro suos gressus conformat saltator, suam ideam Architectus semper in obtutu habet, & verò patienter cordati concoquere cogantur illam vagam disputandi rationem, quæ sine certâ normâ ac ordine

Per sylvas, saltusq; & inhospita tesqua ferarum,
Per montes, per aquas. & per prærupta vagatur?

Multi, quod materia de quâ disputant vel Theologica vel juridica sit, negant, se teneri disputare logicè, de formâ neminem debere sollicitum esse, non esse ejus judicium rem tanti momenti; *Cresconius Augustini* Antagonista postquam satis diu disputasset, vel verius splendidè nugatus esset, & verò Hipponensis Episcopus artificiosè ejus ictus excepisset*, tandem negavit, cum hoc disputandum esse, quia sit dialecticus. Cui *Augustinus* respondet, l. 1. cap. 14. *ejusmodi homines indoctis prætendere fallaciam, doctis facere injuriam.* alii ferre non possunt examinari ea, quæ se

putant

putant ex ſcripturâ deduxiſſe, quaſi quod Theologus omnis ex ſcripturâ ſe probare comminiſcitur, id pro verbo DEI exoſculandum ſit ſine ulteriori examine. Quin potius diſpiciendum, an bonâ conſequentiâ talis concluſio ex tali principio fluat? Si enim juſta illa ſit, non jam Theologi, eſt, ſed ipſius DEI, verbum ac ſententia quod concluſio non realiter differat à præmiſſis. Sin ἀσυλλογίστως eliciatur, jam Theologi quidem ſententia eſt, ſed non Theologica; ut ludibrium omnibus doctis jam olim debuerit *Calvinus*, quando l. 3. inſtitut. cap. 23. § 8. & ſeqq. ſcribit, *non ſit naturaliter, ſed Dei conſilio, ac ordinatione, hominem labi*, mox, *ſit naturaliter & proprio hominis vitio ut à ſe ipſo lapſus naturam ſumat.* Item: *DEUS neceſſitatem infert ad peccandum*, & tamen *propria malitia homo naturam corrumpit*, cumque ſatis diu ſibi occinuiſſet, tandem concludit, *contradictionem in his velle ſtatuere, eſſe rationis modulo ſubjicere velle quod immenſum eſt.* Sicut & alibi Schvvenckfeld, effutit illud Arcadiâ patriâ dignum, *hæc ſi philoſophia credere non vult, quis moratur?* quaſi, quod Calvinus dixit, id ideò ad rationis ſcrutinium revocari non debeat, quia qui dixit, Theologus fuit. Parùm abit ab hâc redargutione *Bellarminus*, is quidem ſcribit lib. 1. de ſacram. Euchar. c.9. *Scholaſticos doctores longè melius noſſe contradictionum regulas, quam omnes Lutheranos, qui contemnunt ſubtilitatem diſputandi*, ſed ſui oblitus l. 1. de purgat. cap.4. ex loco Matthæi, *purgatorij aſ-*

ſertio-

ſertionem ſequi, ait, non ex regulis dialectica conſequentiæ, ſed prudentiæ ſolum, idem hoc, ac ſi diceres, te additionem numerorum facere non quidem ex regulis arithmeticis, ſed geometricis; Quæſtio igitur eſt, rectène *reſpondeat. qui negat, ſe logicè diſputare, ſed attentum eſſe materiæ* (Theologicæ, Juridicæ) *ſive, an diſputationes ſuperiorum facultatum ad amuſſim logicam examinari debeant?* priori negato poſterius aſſerimus, quia diſputator ſecus fuerit 1. *injuſtus*, ut cum religio ipſi ſit impingere in leges grammaticas, interim impune nectat ex arenâ conſequentias, aut compingat ægrorum ſomnia potius, quam ut dialecticè quid efficiat. Si enim turpe non eſt homini docto jus quaſi audire à gramāticâ, cur indecorum ſit idem accipere à logicâ? *Ingratus*, qui ſuſque deq; ferat illam normam, quâ nos in hoc humanorum errorum labyrintho munire natura voluit: laudat ſanè Chriſtus Scribam illum Marc. 12.34. quod νουνεχῶς reſponderit. 3. *nimis de ſe abjectè ſentiens*, dum nullo diſcrimine ſuam diſputationem ſejunctam eſſe vult à Titiæ aut Cajæ alicujus de re aliquâ altercationibus. Ut nihil nunc dicam de monſtris, quæ parit illa vaga ac ſine lege oberrans diſputandi ratio: de ambagibus ſine nervo; quando enim in rem præſentem venitur, plures audias declamantes, quàm nervosè ſtringentes. Quid monſtri parturiat logicæ ignorantia, vel unico illo Medici Paracelſiſtæ, cujus mentionem ingerit *Clariſſ. Hornejus* l. de proceſs. diſp. cap. 3. exemplo eſt conſpicuum: is

enim

enim vidit accidens è ſuo ſubjecto rejectum in pavimento jacere, immò febrim ipſam febricitantem, quia ſcilicet neſcivit differentiam inter ſubſtantiam & accidens.

§. 5. *Regerent illi, ſufficere ipſis logicam naturalem* Reſp. ſufficit illa quidem rudibus, minimè verò iis, qui ſupra vulgus aliquid ſapere laborant, quos in ſuâ ſcientiâ certiores eſſe oportet & promptiores: ſemper autem certius, expeditius, & promptius agit qui ex habitu agit, quam qui ſoli ſuæ naturæ fidit. Quîd verò, dicent, jus audiet à logica Juriſprudentia? num Theologicas controverſias ratione magiſtra dialectica judicabit? Hoc eſt quod *Cornel. Martin.* ſcribit, in anal. cap. 5. quæſtionem hujusmodi magis eſſe odioſam quam difficilem. Reſpondeo autem, non hoc nos dicere, dialecticam normam eſſe ſcripturæ S. aut Theologiæ, quâ talis eſt, ſed conſequentiarum, collectionum &c. quæ ab hominibus fiunt, illis ſcilicet, qui ibi, ubi erratur, nati ſunt: non imperat logica ſed indicat: argumento ſit, quod ſuos Canones plerumque in modo indicativo non imperativo pronunciat, ne videatur cuiquam facultati velle jus dicere, ſed indicare ſcopulos, in quos impingere poſſit, ſi ſe contemtim habeat. Ut verò toti controverſiæ major lux affulgeat, notetur, Judicium diſcretivum de re aliqua duplex eſſe, 1. reale, quô res ipſa in ſuis terminis intelligitur, & quaſi ſeipsô dividit verum à falſo, 2. *Modale*, quo efficitur, ut in judicio reali

quis

quis ſtare & ὀρθοποδεῖν ſive rectè procedere poſſit, e.g. Muſica eſt norma quaſi realis ac judex ſaltationis, ut tamen ipſam muſicam calleas, & fides artificiosè pulſare poſſis, id aliunde tibi diſcendum eſt, ex eâ ſcilic. normâ, ex cujus præſcripto citharæ pulſandæ ratio pendet. prius illud judicium logicæ nullus concellero, non tamen ideò poſterius ei denegari debet *Dices*; eo modo diſputandum eſſe, quo Chriſtus & Apoſtoli cum ſuis adverſariis egerunt, qui diſputandi modus non fuit ſyllogiſticus, non analyticus, non Ariſtotelicus.

§. 6. Reſp. I. *Invertendo argumentum*: Quomodo Chriſtus diſputavit, eodem & nos uti oportet, atqui diſputavit ille non inartificiosè ac inepte, quod aſſerere, blaſphemia ſit; non etiam miraculosè & extraordinariè: ſed modo diſputandi eo, qui tùm apud homines erat uſitatus, dialogiſtico, in Judæam è Platonis ſcholâ derivato. Et virtualiter ſyllogiſtico, ſicut infra in auctario oſtendemus. Ergò & nobis fraudi non ſit, ſi eo diſputandi artificio utamur, quod nunc in ſcholis noſtris receptum & frequentatum eſt, ſyllogiſtico nimirum, ſuis numeris expreſſo, præſertim cum inventis frugibus glandibus non debeamus veſci. Atque ut non ſequitur, Chriſtus docuit parabolicè, illo ſcilicet docendi genere, quod tùm in Palæſtinâ obtinuit. Ergò eodem, non alio, docendi modo noſtris doctoribus uti licet, quia ſecus omnes patrum homiliæ, conciones itidem

hodiernæ damnandæ fuerint. Ita male argumentum procedit contra nobis consuetam disputandi methodum. 2. Etiam Christus logicè disputavit, quod explicandum est negativè; id est contra logicam nostram & regulas dialecticas nuspiam impegit. Quando enim dialecticam disputandi rationem urgemus; non hoc volumus, quod syllogismis meris explicitis agendum sit; iis terminis respondendum; qui hodie recepti sunt: sed inter doctos occultari artificium permittitur. Ita syntacticè loquitur non is solum; qui constructiones eo ordine proponit, quo artificium construendi requirit; sed is etiam, qui hoc artificium latere sinit; modò ne quid contra grammaticas regulas proferat.

§. 7. Ex his præsuppositis fluit decisio duarum illusttium controversiarum 1. *Cuius sit judicare de contradictione in superioribus facultatibus occurrente?* Resp. Judicium de contradictione vel formale solùm est & modale, vel materiale. Formale logicum est; quod statuit in genere de ejusmodi propositionibus, quod simul veræ esse non possint: quando justa fiat oppositio; quando minus? nescit tamen in actu exercito hanc vel illam esse contradictionem talem, prout ejus leges requirunt; quia contradictionem nosse est terminos nosse, rerumque essentias; quid penes se ferre possint, quid non? penetrasse. hinc scribit D.

 Gerh.

Gerb. Præc. hon. diſputat. de judic. circa contra d. t h. 14 in hoc ſyllogiſmo:

Vera contradictoria non ſunt in articulis fidei aſſerenda.

At hoc vel illud dogma eſt contradictorium &: Ergo, non eſſe quæſtionem (ſeu non dubitari) de majori, ſed minori. 2. ſi maximè certum ſit aliunde, ſubeſſe contradictionem, tamen ignorat logicus utram pro verâ habere, utram, ceu falſam, repudiare debeat? videt e. g. hæc eſſe ἀσύςατα: numerus ſtellarum eſt par; numerus ſtellarum non eſt par. Sed dic ſodes, utrum verum? id ſolus ſcit, qui omnia ſcit. Judicium denique reale ſeu materiale eſt de ipſis contradictionis terminis, quorum eſſentiam ac naturam pleuè & planè cognitam habere oportet, qui ibi aliquid ſibi judicii ſumit. II. *An in ſuperioribus facultatibus ſemper quis teneatur diſputare ſyllogiſticè?* Reſp. 1. diſputationes conſiderantur vel ratione materiæ communis, vel ratione objecti & materiæ propriæ, priori modo ſunt topicæ, quæ ex principiis remotis & maximis dialecticis fidem facere conantur, ſed aſſequuntur pro fine ſolam opinionem, & ludicræ ſunt atque προγυμναςικαὶ non ſeriæ. Hæ, perinde ut rhetores, utuntur enthymematis, exemplis, & aliis non neceſſariò ſtringentibus ratiocinиis; quin & ſine ſyllogiſmo dialecticus ſolùm interrogando diſputare poteſt. Qui hoc modo diſputat, is ut ſyllogiſmo id ſemper efficiat non eſt neceſſe: quandoquidem finis menſurat media-

media. Si 2. considerentur ratione objecti proprii tùm sunt disputationes vel Theologicæ, vel Juridicæ, vel Medicæ, vel Philosophicæ, & hæ cum constent ex principiis suis atque conclusionibus; de utrisque diversimodè sentiendum est. Si sint principia, in iis spectantur duo, τὸ ῥητὸν sive verba & termini, & διάνοια, ὁ νοῦς sensus verborum. Verba principiorum e.g. codicis aut sacri aut Justinianæi, nemo quidem λόγῳ ἔξω l.1. post. anal. c.8. negare potest, sed tamen cum fieri possit, ut termini non ab omnibus intelligantur, linguarum subsidium implorandum est, quod Aristoteles l.1 post. anal. c.10. t.73. vocat γνωρισμὸν ὅρων, Scholastici terminorum penetrationem. Hactenus syllogismo non est opus: ratio; quia syllogismus natus est veritatem prorsus ignotam demonstrare; at terminorum explicatio non est veritatis ignotæ inquisitio, sed obscuræ declaratio: aliud est quando sol nebulas solùm discútit, aliud, quando rem prorsus luce carentem illuminat. De sensu principiorum major est difficultas. Jesuitæ sanè verba scripturæ non inficiantur, aliàs extremè impii: Sed uni sententiæ infinitos, etiam impios sensus posse affingi, si Ecclesiæ auctoritas determinativa absit, scribit Gordon Huntlæus; Unde ex primo statim versiculo geneseos, Baràh Elohim, plurimos sensus exsculpit; quid hîc faciendum? Tradunt Theologi, ut unum genuinum atque à Sp. S. intentum sensum indipiscaris, instituendam esse locorum parallelo-

rum collationem ſcopi & circumſtantiarum conſiderationem, antecedentium & conſequentium collectionem ad analogiam fidei reductionem ſed num hîc ſyllogiſmo opus? Sanè ſi omnes ſuper uno ſenſu conſpirarent, nec peterent hunc vel illum ſenſum ſibi probari, tùm utique fruſtra inſtrumenta logica fatigarentur. Sed ut unius loci ex eventu plures ſunt interpretationes; illius inſtrumenti ope inveſtigari debet verus ſenſus, quod omne verum à falſo ſequeſtrat: non hæc concluſio eſt in dubio E. Sp. S. dicit Bara Elohim. Sed: ergò hic ſenſus (qui eſt DEUM omnipotentem creaſſe cœlum & terram,) eſt intentus à Sp. S. Id quod ignotum eſt, demonſtrandum igitur ſyllogiſmo in hunc ferè modum; Gordonus aſſerit Elohim exponi poſſe de Diis gentium; hæc explicatio ſi per juſtam analyſin ad media interpretationis examinetur, hi emergent ſyllogiſmi. 1. *ex collatione & concordantiis*, Quemcunque vocis ſenſum Sp. S. in aliis parallelis locis intendit, eundem & hîc: ſed Elohim pro DEO Opt. Max. accipi, eum ſenſum alibi, &c. Ergò & hîc loci Hoc argumentum eſt probabile ſolùm, quia major fundatur in loco ſimilium probabiliter concludente. Cujuſmodi argumentis opponi poteſt (quod B. Lutherus iis, qui ex parallelis locis probare conati ſunt, in S. quoque cœnâ Eſt exponendum eſſe per ſignificat) ein anders iſt / es kan ſo heiſſen/ein anders/es muß ſo heiſſen. Hoc igitur ar-

argu-

gumentum est præparatorium solùm, viam faciens ad demonstrationes nobiliores, atque illustrans tantùm. Fortius verò stringit hoc, fundatum in principio Theologico, immutabilis scilicet veritatis divinæ. Quemcunque sensum Sp.S. alicui voci denegat, ille ab eo nequaquam est intentus, sed eum sensum, qui hîc Elohim Deastros explicat, &c. Ergò. minor probatur ex Jer. 10. 11. 2. *Antecedentium & consequentium inspectione*, Is sensus à Sp.S. est intentus, cujus contrarium consequentia in eodem contextu non admittunt. Sed is sensus qui Elohim explicat de Deillis gentium est talis, &c: Ergò. Minor liquet ex v. 16. Ille Deus creavit cœlum & terram, ad cujus similitudinem homo factus est; sed ad Deorum illorum similitudinem ad eò homo non est factus, ut hi potius ad illius imaginem confici soleant. Ergò Dii gentium non sunt illi, quibus creatio tribuitur. 3. *Ex scopi consideratione.* Quemcunque sensum scopus Mosis non permittit, ille sensus à Sp.S. non est intentus. Sed sensum Gordoni scopus Mosis non permittit, Ergò. Minor constat, quia scopus Mosis est ex descriptione creationis cœli & terræ divinam gloriam manifestare, eam autem gloriam, quam non vult partiri cum alio quovis supposito extra ipsum, Esa. 42. 1. Eodem modo etiam pergere quis posset ad reliqua interpretationis media. Alterum objectum disputationis sunt conclusiones ignotæ ex principiis deductæ, hæ utique syllogismo probandæ sunt, quod toties necesse est,

quoties conclusio quæ totidem verbis in scripturâ non legitur per bonam consequentiam inde est extruenda, e. g hæc conclusio, (duo tantum esse sacramenta) est propositio ex secundâ, uti vocant, mentis operatione, cui si omnes subscriberent, non opus foret ulteriori discursu; opus tamen est, quia sunt, qui negant.

§. 9. II. Syllogisticè disputare non est implicitè ac enthymematicè disputare. Nam 1, eo modo concludendum est, quo certissimè concludas, quô ex veris nunquam possis falsum inferre, si scilicet in formam non sis injurius, & verissimas præmissas posueris, quas nemo negare possit; at verò illud medium, quod hoc præstat, enthymema non est, quia 1 sæpè ex vero elicit falsum, unde dialectico & rhetori, qui opinionem spectant, magis inservit quàm analytico, e g. pallet, Ergò amat, est hoc enthymema, sed fieri potest, ut ex vero eliciat falsum: Uti verò qui non vult videri suspectus quasi præmissam falsam subticuerit enthymematicè non concludit, ita vel ob solam suspicionem falsitatis evitandam, prompti esse debemus ad integrum syllogismum struendum. 2. quia Enthymema non concludit ἐξ ἀνάγκης, nam pone sis hoc enthymema (Omne rationale est homo. E. Petrus est homo) quid me coget, assensum præbere conclusioni, nisi minor addatur (hoc verò si fiat non jam enthymema amplius est aut implicitus syllogismus sed explicitus) ut ita fluat ex illo principio convictivo, quæ conve-

niunt

niunt uni tertio &c.: *nec obſtat* 1. enthymema ſæpè eſſe ἄλυτον, proinde ex neceſſitate colligere. 2. eſſe ſyllogiſmum imperfectum, hocque ipſo ſyllogiſmum, ſicut embryo eſt imperfectus homo, tamen homo. 3. Ariſtotelem ipſum Enthymema titulo ſyllogiſmi dignari. 4. ſyllogiſmum quidem conſtare tribus propoſitionibus, illas verò omnes oratione externâ exprimi, ei eſſe accidentale. Adeoque enthymema ſyllogiſmum eſſe eſſentialiter, etſi mutilatè. Reſp. ad 1. id tantùm probat enthymema interdum habere conſequentiam materialem; at hanc etiam habent ſæpe ſyllogiſmi in ſecunda figurâ ajentes, hoc tamen non obſtante, ſunt ἀσυλλογισίαι. ad 2. illa perfectio eſt eſſentialis, quæ non præſupponit quod res ſit, ſed quod ſit futura, vel talis eſſe debuiſſet, ſi fuiſſet perfecta, hoc ſenſu aſſero, canem in utero eſſe imperfectum. at *inſtas*, Enthymemati deeſſe ſolùm partem integralem, quæ eſſentiam non tollit, ut nec homo claudus ideò homo non eſt. Reſp. Enthymemati talis pars deeſt, quâ abſente, forma, id eſt, conſequentia ipſa nulla eſt, quia non eſt veri convictivi. 3. non negamus ſyllogiſmum dici poſſe analogicè propter aliquam cum genuino ſyllogiſmo ſimilitudinem, negamus tamen dici poſſe univocè 4. ſyllogiſmo interno accidentalis quidem eſt externus, ſed ut propoſitiones omnes internæ interno, ita externæ externo ſunt neceſſariæ. Enthymema verò formaliter eſt oratio externa, quia niſi in mente unam propoſitio-

nem servaret, cæteras voce exprimeret, hoc ipso non esse enthymema sive ἐν θυμῷ ἔχον.

§. 10. Denique ad ipsam initio positam quæstionem, *an disputator teneatur syllogisticè disputare?* per sequentes respondeo conclusiones. I. Non tenetur necessitate absolutâ, secus omnia doctorum scripta ex meris syllogismis expressis secundum omnes partes deberent conflata esse. II. Tenetur tamen ex hypothesi, si 1. compromisit unà cum alio in formam & logicam disputandi rationem, quod servare viri boni fuerit, si 2. alter ab eo exigat syllogismum, nam ejus non est admittere argumentum, nisi quod stringat, aut cogat: semper enim dicere ei licebit, hoc argumentandi vel disputandi genus, nisi syllogisticè proponatur, aliquando posse ex veris falsum elicere, posse igitur fieri, ut in præsenti casu eodem modo exorbitet. Sicut, quamvis nemo teneatur in oratione grammaticâ, eo ordine constructionis, verba ponere, quo in scholis à tyrone ea exigit Præceptor: tamen si quis de grammaticâ structurâ cum ipso contendat, & eum actionis injuriarum Prisciano factarum postulet, tenetur constructionis rationem edere, planeque ex præscripto grammaticæ procedere. Quod si Antagonista permiserit, sine syllogismo secum agi, tùm cedit nonnihil de suo jure, & disputator talis disputat sui adversarii beneficio.

ARTI-

ARTICULUS III.

De præceptore boni Disputatoris.

§. 11. Aristoteles equidem & præceptore, & præceptis in arte analyticâ destitutus, ut expressè fatetur ipsemet in calce lib. 2. Soph. elench. (nondum enim illâ ætate inventa erat ἰσχὺς διαλεκτική, l. μ. Metaph. cap. 4.) tamen in eâ adeò excelluit, ut cuivis palmam fecerit dubiam. Hippocrates etiam fertur sine præceptis medicam artem ad tantam perfectionem deduxisse, in quanta nunc est. Julius C. Scaliger perhibetur græcam linguam addidicisse nullis adjutus præceptis, nisi quæ ipse sibi inter discendum præscriberet. Sed Heroica istiusmodi ingenia imitari datum est iis solum, quibus ex optimo luto

—finxit præcordia Titan.

Et sanè delirus sit, qui cibum præmansum ab aliis accipere nollet, glacie jam dum fractâ detrectaret navigare? Felix ille cui fidelis præceptor contingit; Non minus enim hoc DEI donum est, quàm ipsa ejus doctrina. Præceptoris assistentia in omni scientiâ ediscendâ perquàm est utilis: utilior in philosophiâ, cujus principium nullis literis descriptum legitur, sed ipsi naturæ inhæret, quæ tamen sopita jacet tàm diu, donec folliculo aliquo forinsecus excitetur. Ideò Plato Philosophum jubet esse θηρευτὴν τῆς ἀληθείας, id est, venatorem veritatis: ultrò quidem hanc ille, magno tamen laboris impendio, assequeretur, sed longè

citius, ſi vertagis utatur ſive canibus odoriſequis, qui ignorantiæ oblatrantes ad ſcientiam nobis facem adluceant. Omnium verò maximè Præceptoris opera expedit, ne dicam, planè neceſſaria eſt, logicæ Studioſo: De *Auguſtino* refert *Anton. Scaynus* in præf. paraph. in Log. Ariſt. quod dicere fuerit ſolitus, *ſolam logicam eum diſcipulum effeciſſe egentem præceptore, qui eam ſibi explicaret.* Cum enim ipſa ſit τρόπος ἐπιστήμης in omni ſcibili veſtigando, ſupra ſe non habet τρόπον ἐπιστήμης alium, ne detur progreſſus in infinitum. Quis *verò è tanto librorum ac præceptorum numero eligendus?* Multa hîc in Raym. Lullium, multa in Ramum dici poſſent, qui diſponere melius, quàm diſputare docuit, ſed id reſervo in alium locum. Ego ſanè ingenuè fateor tantâ auctorum, qui dialecticas ſcripſerunt (nam

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?)

multitudine confuſum olim plus fuiſſe quam adjutum, felicem verò illum diem prædico, quo Ariſtotelis organum ad manus ſumſi. Meo igitur conſilio nemo ancillarum amorem procabitur, quod ipſa Penelope ſe facilem præbeat. *Zeno Citticus*, cum interrogaret, quâ ratione vitam beatam optimè inſtitueret, audivit ex Apollinis tripode, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, *ſi mortuis fieret concolor*, hoc eſt rejecto τῷ νῦν καὶ πρῴην, antiquitatem fugitivam retraheret. Idem conſilium ei ſuggerendum, qui ad ſapientiam & ſolidiorem eruditionem graſſari laborat. Peculiaris verò cauſa

eſt

est cur disputatori nostro præsertim in arenâ Theologicâ constituto, Aristoteles suadendus sit (cujus Logica quod disputationibus commodior sit à Magno nostro Theologo *D. Gerhardo*, Præceptore honoratissimo in methodo studii Theologici Philo-theologis commendatur) quod scilicet ille nullarum partium sit studiosus, de judicio veritatis omni id dicat, quod lumen naturæ ei dictavit, nihil loquatur in cujusquam gratiam. Sed *inquis*, imperfectus est: obscurus est:

§. 12. Resp. non hæc nudius tertius demùm nata accusatio est, semper enim oggannierunt delicatuli illi ac solidæ scientię osores, qui nullum omninò auctorem patienter ferre possunt, εἰ μὴ πλαχῦντα γενόμενον ἢ ϑώπιον. Quantum primò imperfectionis crimen attinet, id organo Aristotelico fraudi esse nequit, quod nemo unquam repræhensus sit, qui è segete ad spicilegium reliquit stipulam, *cum tradita sunt cuiusvis artis difficillima*, inquit Tullius, l. 2. de orat. *reliqua quia aut faciliora aut similia sunt, tradi non est necesse.* Unde laudabilis valde Philosophi modestia est, quando in calce soph. elench. petit concedi τοῖς παραλελειμμένοις συγγνώμην. Interim quod non facere possim cum iis, qui tantùm non pro principio Philosophiæ Aristotelem agnoscunt, quod omnia exactissimè ita absolverit, ut nullius hominis ulteriori cogitationi aliquid reliqui fecerit, obstat *Senecæ* judicium l. 7. nat. hist. c. 31. *pusilla*, ajentis, *res mundus esset, nisi in illo, quod quæreret, universus mundus*

mundus haberet. Nondum veritas occupata, multum etiam futuris relictum est. Neque puto, si vel redivivus ipse prodiret, ægrè se laturum eorum instituta, qui philosophiæ ab ipso primitùs excultæ limites proferre conantur? *Crimen obscuritatis* quantum attinet, planè illud à Philosopho removeo, omnibus ille patet & facilis est, si sequentibus usi fuerint intelligendi mediis. 1. *Linguæ græcæ peritiâ*, credo enim facile, hanc qui nesciunt Aristotelem nescire, quis enim ab interprete pendeat, cujus metaphrasis sæpe obscurior est textu? 2. *medioeri terminorum mathematicorum intelligentiâ.* Ut enim fidelis præceptor ipse fuit, ita per notiora quædam exempla; quæ intricatius proposuit, explicare voluit: eâ autem tempestate (qua nemini licuit introire lyceum, nisi mathematicus esset, juxta illud Platonis, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω) mathesi nihil notius fuit: Atque hæc causa est, cur Aristoteles frequenter ex illâ disciplinâ terminos & exempla mutuò petat; syllogismus enim, quod germanis est ein Rechnung / terminus est mathematicus. sicut enim in additione duobus numeris positis elicitur tertius, ita idem quodammodo evenire in syllogismo docere voluit. Tales sunt termini alii, circulus sophisticus, proportio, geometrica & arithmetica in Ethicis, triangulus in doctrinâ de animâ &c. 3. *librorum exotericorum præanticipatâ lectione*, ex quâ hoc commodi hauriet anagnostes, ut stylo Aristotelico assuefieri discat. 4. *Commentariis lucidioribus*, è quibus elige anti-

antiquiores, qui Pallade magis propitiâ abdita sensa rimati sunt.

ARTICULUS IV.

De objecto Disputationis.

§. 13. Ἀῤῥωστία τοῖς διανοίας laborare, qui contra principia disputare vellet, ea vel evertendo vel in dubium frustra vocando, famosum in Philosophiâ proverbium est. Ut enim quæ visui objiciuntur, vel sunt ipse Sol, fons luminis, vel corpora illius splendore induta. Ita quæ intelliguntur vel principia sunt per se lucida, ac ἀναπόδεικτα, vel conclusiones ex principiis natæ. Quod si igitur principia suâ & nativâ luce radiant, negari λόγῳ ἔσω nunquam possunt. Verum enimverò ut veritatis velum sæpe sophistica induit, ita principiorum nomine sæpe gloriatur; quod hoc nomine indignum est: quo in casu principium simul ac incipit durabile esse, non principium est, sed conclusio; de quâ controversia esse potest adeoque disputatio: Semper igitur hujus axiomatis (contra principia negantem non est disputandum) sensus reduplicativus est, & subaudiri debet, si sint principia. Ut autem liquidò constet, quæ hoc nomen mereantur, quæ secus? Notanda sunt hæc κριτήρια. 1. Principium est sententia verissima: est enim omnibus ex se fluentibus veritatis causa. 2. notissima, ut penetratis ejus terminis, nemo assensum ei negare possit, quod hoc ipso nihil sit πιστότερον καὶ γνωριμώτερον, l. 1.

post.

post. anal. cap. 2. t. 17. δεῖ γὰρ περὶ ἀρχῶν ἤκειν προεπισταμένους, ἀλλὰ μὴ ἀκούοντας ζητεῖν. l. γ. Metaph. cap. 3. t. 8. Dico autem, notissimum, suppositis motivis seu rationibus assentiendi: nam principium cognoscendi vel physicum est, ob quod homo non tàm assentit, quàm assentire potest, & vult: vel Logicum sive medium syllogisticum, quod assumitur ad faciendam fidem. In philosophiâ ratio assentiendi est vel *contradictionis necessitas*, quâ dilemma alicui proponitur, aut assensum præbe aut statue, idem simul esse & non esse, vel 2. *objecti claritas & evidentia*, quâ intellectus ita cogitur, ut dissentire non possit, si maximè vellet, cum in naturalibus agentibus, quale intellectus est, positis omnibus ad agendum requisitis, non possit non sequi effectus. Jam positis omnibus ad sentiendum requisitis sensus aberrare nequit, vide, si placet *Colleg. Psycholog*, disput 2. controv. 4. nullo autem in sensu vitio existente, neque in mente illud timeri facile debet, intellectus enim agens ad ideam & exemplar phantasmatis, quod habet in obtutu, speciem imprimit intelligibilem. quæ expressa deinde ex asse refert phantasma. Quando igitur quæritur: *quâ de causa huic principio assensum præbeam?* respondebitur, vel quia nisi crederem, hominem exuerem, vel quia ita me objectum suâ evidentiâ cogit. Non audiendi hîc illi sunt, quibus semper experientia in ore est, negant, de hâc vel illâ re disputari debere, quod veritatis meridies experientia eam extra omnem

aleæ

aleæ jactum ponat. Uti enim non statim principium est, quod quis tale esse comminiscitur, ita nec experientia semper est, quæ hoc titulo superbit. Facile enim fieri potest, ut vel non omnia ad sentiendum adfuerint requisita, vel plus debito indultum fuerit uni vel alteri experientiæ, quam tamen alia evertit, ita apud *Fernel.* lib. 2. physs. cap. ult. quidam sectatores Plotini, αὐτοψίᾳ se persuadere posse sunt confisi, quod per naturam plura corpora in uno esse loco possint, quam tamen eludit *Cornel. Martin.* l. 2. anal. cap. 5. experientiâ contrariâ longè illustriori. Sæpè non quod quis videt, sed quod quis videre vellet, se vidisse persuasus est. Elegans exemplum suppeditat *Hurtad. Mendoza.* disp. 2. de caus. & ord. generat sect. 7. quando disputat, quæ partes animalis formentur prius? Galenus & qui eum sequuntur statuunt, hepar in generationis ordine primas obtinere, quod Hippocrates conspexerit genituram interlitam rubris venulis, hepatis stamina referentibus. Verum Aristoteles testatur, se conspexisse in aliâ genitur â vestigium cordis absque ullo aliarum partium indice. Utri autem credendum? *arbitror*, inquit Mendoza, *utrumque sibi visum fuisse videre partem, quam primam esse volebat.* Multi alienis oculis vident, & nihilominus experientiam deblaterant, idem ipsis evenit, quod illis, qui laudavit salmones, quoniam audivisset laude dignos esse ab alio, qui viderat aliquem illis vesci, ut ludit Piccartus in Synops. organ.

pag.

pag. 402. Omnium verò frequentissimè, ex probè quidem observatâ, experientiâ concludunt; id; quod non est in quæstione; ex. gr. cum quæritur: an per naturam fieri possit famosa illa αἱματόδειξις? negandum id utique est; cum neque ex sympathiâ, neque ex antipathiâ illa contingere possit; non ex illâ, quia talis nulla fingi potest inter occisum & occisorem: non ex hâc; quia antipathia incitat ad fugam non prosecutionem objecti: in illo autem casu sanguis inclinat ad sicarium. Quid verò illi? experientiam objectant ceu Medusæum caput. Non negaverim experientiam, sed illa non efficit propterea per naturam tale quid fieri; sed fortassè per accidens solum; exque alia causâ.

§. 14. Ut vero regrediamur ad id, unde excurrimus; Idem etiam in Theologiâ ostendendum est; quod de principiis philosophicis diximus. Principium illius hæc est sententia: Quicquid Scriptura Sacra affirmat id sine dubio verum est. Cæterùm cum hoc non omnibus notum sit, nec ab omnibus satis reverenter agnoscatur, motiva aliqua sive rationes assensus nonnullæ requiruntur; ut quis velit assentiri, ideò *Becanus* tr. de lib. arb. c. 1. quæst. 3. n. 6. requirit; *pium voluntatis affectum, cum alias intellectus noster non posset facile adduci, ut crederet, quæ rationem superant:* Ratio autem assensus in Theologiâ est, quia verbum est immutabilis DEI, fallere nescii. *Dices:* hoc ipsum in obscuro esse, nam UNDE SCIS esse verbum DEI?

Resp.

Resp. ex ipso illius auditu, ubi Deo ipso docente, Joh. 6.45. 1. Thess. 2.13. cor illuminatur & exardescit quasi Luc. 24. v. 32. adeò, ut quod evidentia objecti præstat in philosophia, id Sp. S. per verbū in intellectu humano efficit, ut talem fidem concipiat, pro qua malit caput dare in succedaneum; undè effectus verbi divini per actiones naturales à Spiritu S. frequēter declarari solent, ut sunt, quod illuminet, pluat, fulminet: Dicerem etiam de motivis fidei humanæ, quibus homo nondum conversus adducitur ad assentiendum, nisi nimis excresceret præsens articulus. Ex adverso autem, quia principium Theologiæ pontificiæ, ipsa etiam assentiendi ratio dubia est, & argumenta sunt, quæ contrariū suadere fortiter possint; hinc in controversiam illud venire potest, non obstante, quod principii nomine ab ipsis salutetur. Constat igitur objectum disputationis esse conclusiones, & principia nomine tenus talia, adooq; conclusionum demonstrabilium naturam induentia. In genere omnem thesin in disputationem venire posse: auctor est *Aristoteles* l. 1. Top. c. 11. *de qua dubitare possit egens argumentis, non pœna, aut sensu.*

§. 15. Quod verò quidam cane pejus fugiendam monent quæstionum subtilitatem, id probandum est, si intelligi velint de objectis cognitu impossibilibus; Frustra enim cotem ingenii novaculâ logicâ acues ad penetrandum id, cui intelligendo prorsus non sis. Ut verò ἄτμητον aliud est, aliud solum δύμητον: Ita quædam prorsus

ſunt ἄγνωστα, idque vel propter ſummam ſuam excellentiam, vel propter ſuam exiguitatem, ut acutè oſtendit *Scaliger.* exerc. 359. ſect. 1. quædam difficulter ſolum intelligibilia; in his hominem experiri vires ſuas, quis prohibeat? acumen enim, quo hæc penetrantur, Dei donum eſt, inquit *Auguſtin.* ſubtiliores igitur quæſtiones in diſputationem venire poſſunt; ſi faciunt in gloriam veritatis divinæ eruendæ; ſi 2. inſerviant indagationi naturæ ac eſſentiæ rerum accuratiori. Ita quæri ſolet, an terra, & quorſum, moveretur, ſi abſtraheretur à ſuo centro? Ut inde colligere liceat, ſitne terra gravis an levis? Ita Ariſt. l. 2. de cœl. c. 2. Unde, ſi motus cœli incepiſſet, incepiſſet? ab ortu an occaſu? Ejuſmodi quæſtiones ſunt: Utrum ſi daretur vacuum, per illud corpus moveri poſſet? Utrum ceſſante motu cœli deſituræ eſſent generationes & corruptiones? Utrum Sol aduereret manus, ſi quis ei prope eſſet? Et: an cœlum quis tangeret, ſi vicinus ei eſſet? Aliæ verò quæſtiones ſunt, quas prohibet D. Paulus Tit. 3. 9. ut ſunt illæ Rabbinorum, de cauſis præceptionum, cur Deus prohibuerit carnem ſuillam non leporinam? quare non arandum bove ſimul & aſino? & Scholaſticorum illæ de variis caſibus Incarnationis filii DEI. Quarum cognitio partim eſt abſolutè imperveſtigabilis, cum unicè in voluntate Dei acquieſcendum fuiſſet; cujus reddi ratio nequit; Vel ad neceſſariam rei alicujus naturæ explicationem nihil faciunt.

ARTI-

ARTICULUS V.

De virtutibus boni Disputatoris.

§. 16 Partior illas per præcipuas ferè potentias & facultates hominis. Quantum enim 1. *Voluntatem attinet*, eam exornare *pietas* debet, quâ nisi familiam ducat partus non nisi degeneres nascentur. *Cicero* definiens Oratorem, eum virum bonum nominat dicendi peritum; quod, sicut aqua etiam illius loci, quem præter fluit, saporem & colorem refert, ita multum intersit, è quo tubulo fluat Oratio, ne Orator audire cogatur

ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Lipsius l. 1. polit. c. 1. in bono politico requirit non prudentiam solùm, sed & virtutem; quod illa sine hujus comitatu calliditas sit; & quidlibet potius quàm prudentia; ut ita politici nomen non nisi abusivè possideat, qui est philosophiâ sententiâ, ignavâ autem operâ, quique πολύτροπος callet

Varios vultus pallere colores
Tristi mente jocos hilares effingere, & unà
Falsa imitari iterum mutatis gaudia malis;

Interim ad virtutis opus manus habet emortuas. Ita & nos in bono Disputatore necessariò ac primò quidem exigimus *PIETATEM*; animam sapientiæ, ejusque condimentum. Tùm enim nemo melior Doctor esset, quàm spiritus ille fallacissimus Cacodæmon, si solâ eruditione bonus doctor absolveretur. Huc pertinent Patrum effata;

Celeritas intelligendi, inquit, *Augustin.* l.4. de Confess. c.16. *& disputandi acumen* DEI *donum est, sed si inde* DEO *ipsi non sacrifices, non ad usum, sed ad perniciem magis valet.* *Hominem enim non purum*, Verba sunt Nazianzeni Orat. 1. contra Eunom. *tractare quod purum est, fortasse ne tutum quidem fuerit, sicut debiles oculos in solis radios converti, periculo non caret.* Placet εὐσεβὴς λογισμὸς Epiphanii, ut semper responderi possit ad Cassianum illud: *cui bono?* quod si enim de omni verbo otiosè prolato reddenda DEO ratio est, cur non etiam de quovis verbo mentis ac conceptu interno, qui sine fruge est? ut alicubi non ineptè philosophatur Thomas Aquinas. Quin & illi fines, ad quos Sophistæ collineant, studiosè cavendi sunt disputatori, ut sunt φιλοκερδία, κενοδοξία, φιλονικεία; rixandi item & calumniandi studium, quod imbellium valde animorum sit, pro telis convitia librare. *An verò pietas sit de essentia boni disputatoris?* id nunc relinquimus in medio; novimus sanè bonum civem esse posse, licet non sit bonus, vide sis *Thomam* 1.2. q.92. artic.1. Ita vir malus bonus quidem erit disputator, non tamen bonus; sicut sæpe dicere solemus: malus est Sophista (es ist ein schlechter oder einfältiger Sophist) licet non sit malus. Quid si & hoc sensu bonus dici posset, quô ἀγαθοὺς λέγομεν καὶ κλέπτην ἀγαθὸν καὶ συκοφάντην, l.δ. metaph. c.16. t.21?
2. In *intellectu* requirimus præcipuè *judicij acumen* quod sine contumeliâ in DEUM ipsum ejus auctorem redundante, repræhendi non debet: nemo

mo ſanè ſatis acutus eſſe poteſt, non hic mediocritati locus, quæ acumen in extremis vitioſis numeret, modò inde, ut *Auguſt.* loquitur, DEO *ſacrifices.* 2. *Ingenij ac memoriæ celeritatem. Claud. Baucard.* de an. ration. part. 4. de intell. theor. 11. pag. 81. monet, fieri ſæpe, ut cum diſputatori in fervore diſputationis aliqua propoſitio ex inopinato negatur, ei in momento temporis, & quaſi inſtanti intellectus fundendus ſit ſuper integram negatæ probationem ac reſolutionem, etiam ad prima uſque principia: quod ſine igneâ quadam velocitate vix fieri poteſt, 3. In *affectibus Zelum* exigimus ac *amorem* erga veritatem impenſiorem. Ut enim cæteros affectus ſedatos ac tranquillos continere debeat, quod veritas nō affectuum, ſed rationis filia ſit, Zelo tamen deſtitui nequit: ſicut enim ira cos fortitudinis eſſe perhibetur, ita Zelus veritatis. Hinc Gregor. Nazianzen. Orat. 26. Μὴ καταγινώσκομεν, ait, τῆς θερμότητος, ἧς δίχα μέγα τι κατορθωθῆναι πρὸς εὐσέβειαν ἢ ἀρετὴν ἄλλην ἀμήχανον. Et ibid. θερμοὺς, διαπύρους, καὶ μεγάλας φύσεις, pro iiſdem habet. Cauſæ autem noſtræ aſſertionis ſubſunt non leves, quia 1. animi præparandi ſunt ad ſerios congreſſus, in his verò zelo opus eſſe quis neget? quia 2. diſpellenda nauſea eſt auditoribus, qui quidvis patientius laturi videntur, quàm frigidum diſputatorem, qui tantum non ſuper argumento aliquo indormiat. Abſit ut reſpondens iraſcatur ita affecto opponenti, prodit enim hâc ſuâ irâ intempeſtivâ, ſe vel ini-

quo erga veritatem animo esse, vel causæ suæ diffidere; irasci sanè non est argumenta solvere, sed inscitiæ latibulum quærere.

§. 17. 4. In Oratione denique *perspicuitas* placet. Scholastici olim cum vellent demonstrare Deum esse, quærebant essétne Deus? cum disputare vellent, quibus de causis baptismus instituitur, quo fine & fructu? item quâ de causâ Christus incarnari voluerit? illi hoc orationis habitu quæstionem sunt elocuti, an conveniens fuerit filium incarnari? *Scotus* l. 3 sent. dist. 24. q. unic. scribit ad id *ultimò devenisse doctores*, *ut Philosophiam immiscerent Sciptura S. idque multum valere*; quo ipso non hoc vult, Theologiam mixtim ex philosophiâ, & sacro codice conflatam esse, cum ibid. disputet universam Theologiam solâ fide niti, quin & loc. cit. impugnet Thomam, quod Theologiam scientiam esse statuisset. Sed hoc intendit, accuratius posterioribus seculis excultam esse philosophiam, & ejus organicâ ope doctius atque planius scripturam esse explicatam. Ita duriusculè sæpè patres locuti sunt, quos vix aliquâ commodâ interpretatione juveris. Quid ergò, inquit Chrysost. hom. 38. in Matth. illisne facta est injuria, qui ante Christi adventum vixerunt? nequaquam. Tunc enim etiam sine confessione Christi poterat aliquis servari. Quò non hoc vult B. Pater, quod aliquando homo servari potuerit, excluso omninò Messia, nam Comm. in Joh. 1. 10. scribit; ὅιγε τῦ θεῦ φίλοι[θαυμαςοὶ πάντες

αὐτὸν.

αὐτὸν ἐπέγνωσαν, καὶ περὶ τῆς ἐν σάρκι χρείας, ſed quod aliquando homines deſtituti fuerint clariori Meſſiæ cognitione, ut eum exponit Caſaub. exerc.1. ad apparat. Baron. In quibus omnibus nunquam animi ſenſus, ſed horrida ac inſubida illa enunciandi ratio verſa fuit vitio, idque jure, quia *abſtinendum eſt non tantùm à verbis, quæ efficiunt orationem falſam, ſed & quæ efficere videntur*, verba ſunt *Fonſecæ* l.5. metaph. c.1. q.7. ſ.2. Qui ex hoc fonte ibidem deducit minus rectè perſonam productam principiatam nominari, quamvis Græci more ſuo concedant eſſe cauſatam: ſicut & non ideò apud latinos de Deo pluraliter loquendum eſt, etſi illum loquendi modum non reſpuat hebræus idiotiſmus. Illud etiam liquidum eſt, non defuiſſe cauſam Friſchlino, cur in Priſciano vapulante putidam illam linguæ latinæ, quâ in ſuperioribus tenebris ſorduit, ſpurcitiem ludibrio habuerit; aut enim valde ignorantes latialis eloquentiæ veteres ſcholaſtici fuerunt, aut invidi nimis, dum barbaris ac inficetis vocabulis crucem figere lectori voluerunt, & iis terminis uti, de quibus ipſe ſenex Numa Egeriam ſuam in conſilium vocare neceſſe habuiſſet. Etſi autem præſtigioſa illa ac incomta veterum elocutiò permutata eſt cum probo magis caſtoque ſermone: termini tamen quidam è confinio Latii ejici non potuerunt, quales ſunt, quos docti civitate latinâ vel ſolâ indulgentia donarunt, e.g. eſſentia, entitas, quidditas, &c.

§. 19. Hi termini & similes metaphysici alii à delicatulis quibusdam Ciceronis mancipiis gratis repudiantur: habent enim illi quasi jus civitatis latinæ. Uti in Repub. tolerantur cives necessarii, quibus ejectis vel seditio, vel aliud malum metuendum esset, ita hi termini feruntur ob necessitatem; si enim æqualis rerum & verborum esset copia, nova vocabula fingi utique nefas esset? *at verò orationum certa est multitudo, res numero sunt infinitæ*, ait sapientiæ dictator l.1. soph. c.1. Oratoria & poësis instrumenta sint practicæ philosophiæ, ut non necesse habeant res omnes in universo certis nominibus aliis significare: atqui verò ampliorem & instructiorem vocabulorum apparatum exigit philosophia: ne igitur perpetuis homonymiis uti cogaris, quibus fit, ut non dextrè magis disputatores se mutuò intelligant, quàm Babelicæ turris structores; proficuum utique fuerit, Reipubl. literariæ res singulas, quantum fieri potest, singulis vocibus exprimere: hâc de re ita scribit *Anton. Flamminius*, in princ. paraphras. 12. metaph. *si majores nostri tàm severi non fuissent, & Græcorum laudabilem libertatem imitari maluissent, tanta orationis pauperie non laboraremus:* nec *tamen facere potuerunt, quin plurima nomina innovare cogerentur.* Hac nimirum necessitate *ductus Aristoteles* ἐντελεχείας vocem introduxit: atque ut DEI naturam intimius exprimeret, uno minor Aristotele *Scaliger* exerc.365 s.2. vocem αὐταυτὸς, *Dn. D. Waltherus*, in spicileg. contr. nomen αὐθαυ-

τότητος,

τότατ☉, D.*Frantzius*, orac. 10, dictionem ERITURUS invenit. Eâdem necessitatis lege commotus *Seneca*, *cupio*, ait, *si fieri potest, propitiis auribus tuis dicere* ESSENTIAM : *sin minus, dicam & iratis*: *eadem incitatus Apuleius*, in apolog gloriatur, se in historia piscium multa nomina latinâ monetâ percussisse: sicut & *Vitruvius* in præf. l.5. in Architecturâ novos terminos exigi tradit. Atque hoc est, quod subinde Galenus inculcat, non debere de nominibus nimis nos esse curiosos, & vetat Plato Philosophos εἶναι ῥημάτων δούλους. II. Deinde hoc quasi regali gaudet philosophus, ut quod reges non possunt, ipse dictionem donare civitate valeat. Nam cum ejus prima & potior cura sit quomodo res optimè intelligat, ideo Mercurium mavult in pectore quàm linguâ, neque silurum putrem edit pro murænâ, etiamsi in patinâ proferatur argentea, scilicet, non curat semper quid bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet, Aug. l. 4. de doctrina Christ. cap. 10. Licuit Theologis vocem Deitatis, Trinitatis, personæ & :.ICTIS Feuda sua, vasallos, vias nullitatis, freystellionatus, Medicis Julapia & syrupos: ipsi *Tullio* voces sequentes: beatitudinem & beatitatem, l.1. de nat. Deor. mulierositatem l.4. Tusc. qq. syllaturire, l.9. ad Att. & 12, proscripturire, & alia multa, de quibus videatur *Vbert. Folietan.* lib. 2. de usu & præst. ling. *Beroardo ICto* vocem *Herbicasiovium* invenire, & Romano jure munerari: cur innovando vocabulo committat scelus solus philosophus,

— *brevibus gyaris & carcere dignum?*
III. Tùm se hi termini jure præscriptionis tueri possunt, multis enim retrò seculis obtinuerunt, quis igitur è possessione eos extrudat? Barbari quidem olim fuerunt, cum primum nascerentur, longo tamen usu mitiores facti duritiem deposuerunt, & ut loquitur *Cl. Arnisæus discurs. de term. schol. contra Rhœdum*, Barbariem eorum *expiavit longa consuetudo*, penes quam vis est & norma loquendi. Quæ hactenus pro terminis scholasticis dicta sunt, non eò pertinent, ut quis datâ operâ his indulgeat, tùm, etiamsi posset res comtius significari: etsi enim eleganter loqui dialectico non sit necessarium, valde tamen ei est honorarium. Quemadmodum autem in verbis, ita in docendo disputatorem præsertim præsidem perspicuum esse oportet: nec puto ullum clariorem & Tyronibus conventiorem docendi modum esse, quam qui fit per similitudines manifestas. Voces abstracti & concreti monstra esse videntur Tyroni, non verba: sed minimè terrebunt eum, si abstractum assimiles formæ sigilli nondum ceræ impressæ, concretum compares cum cerâ jam ideâ sigilli informatâ Res humanis ac sibi relictis auribus planè absona est mortuorum resurrectio, Athenienses certè Actor. 17.32. ἀκέσαντες ἀνάστασιν νεκρῶν, ἐχλεύαζον. Jucundius tamen animos afficies, si Paulum & patres imitatus quibusdam similitudinibus quandam perspicuitatem tuo argumento conciliaveris. Sic *Æneas*
Gazæus

Gazæus utitur exemplo artificis, cujus arte æs in aurum vertitur, ut redeat aureus Achilles, qui ante fuit æneus (unde non levis conjectura artem chymicam jam olim excultam fuisse) *Cornel. à Lap.* in cap. 37. Ezech. comparat resurrectionem hydrargyro sive argento vivo, quod diductum digitis, & dispersum in minutissimos pulvisculos pari facilitate iterum in unū cogitur, ut fit idem numero, quod fuit antea. Illustrissimum verò typum resurrectionis exhibet, *Ioseph. Quercetan.* defens. hermet. medic. cap. 23. qui testatur, cognitum sibi Polonum quendam fuisse medicum Cracoviensem, qui è plantis & herbis nonnullis peculiari arte, & industriâ subtilissimos cineres paraverit, & singulis vitreis vasculis occlusis accuratè indiderit, uni rosæ, alteri papaveris, &c. cineres. Mox admoto igne modici caloris (lucernæ puta) cœpisse è cineribus exurgere speciem plantæ, cujus cineres erant, partibus suis omnibus absolutæ; quæ tamen remoto calore iterum in suos cineres sint relapsæ. Sed abrumpo telam, & præcipito calamum ad alia.

ARTICULUS VI.

De fine & definitione disputatoris.

§. 20. Eosdem ille fines habet cum sophistâ speciales, non tamen generales: neque ex φιλονικείᾳ ille disputat, non lucri causâ, non superbiæ typho inflatus, qui fines sophistæ blandiuntur.

Ut

Ut autem ejusdem rei esse usus & abusus potest &c, ita quantum speciales fines attinet ad eosdem ille collineat, ad quos Sophista, sed non eodem animo. Nam & Disputator 1. spectat ἔλεγχον, id est, *redargutionem* per deductionem ad impossibile, vel ad contradictionem. Vin' exemplum? en tibi illud *Ciceronis* l.1. Tuscul.qq. defendebat scilicet illîc *Atticus Epicuræus* animæ humanæ interitum, & tamen asserebat, mortuos esse miseros, cui *Tullius objicit, quem esse negas, eundem esse dicis: Vbi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tùm eum, qui non sit esse dicis.* Gemino modo Dn. D. Calixtus tract. de an. immort. & resur. contra Sadducæos disputat, statuerunt illi, cum corpore simul extingui animas, & tamen docebant, præter legem nihil servandum esse, teste Josepho l. 12. antiquit. cap. 2. & l. 2. de bell. jud. cap. 7. *Stulti! cur legem servant? cur non magis cuticulam curant? si anima est mortalis, nec majus bonum habet, quàm ipsum corpus.* Confer acutissimum discursum Hurtadi Mendozæ disput. metaph. 20. de DEO Opt. Max. sect. 1. totâ disputantis. Quid verò? si quis ad contradictionem deductus tamen nolit manus dare, sed quod insulsus posset, diceret, in Theologiâ duo contradictoria posse simul vera esse, licet non in philosophia? Tum suiipsius verbis convincetur. Si enim hæc illius responsio vera est, in Theologia duo contradictoria simul vera esse posse, tunc vera erit, & ipsius responsio, & meus elenchus, quô dicebam duo

contra

contradictoria in Theologiâ non posse simul stare. E. ipso quamvis invito habeo quod volo. Eodem modo etiam reliquos fines respicit disputator, de quibus infra latius.

§. 21. Definimus in genere *Disputatorem*, quod sit *Analyticus omnium controversiarum in omni scibili occurrentium, ad discernendum verum à falso. Analyticum* ponimus loco generis, quod omnis disputator sit analyticus, non vice versâ: cum & ordo alicujus commentarii sæpe investigetur, augumenta, orationum cumprimis, colligantur in suas quasvis locorum dialecticorum areolas, idque sine disputatione. Est verò ἀναλύειν (ut ex *Eustratio refert summus olim philosophus Mich. Piccarius* in synops. organ. p. 461.) quasi diverti in hospitio, quod germanis dicitur außspannen. Tùm enim equi quâ onerati erant mole liberantur: currus, divisis quæ vehebat, nudatur: ipse homo vestimenta reliqua seponit. Ita Logicus quod totum alii commentati sunt (opponens quidem thesin respondentis, Respondens argumentum opponentis) ἀναλύει, illud dividendo in suas partes ex quibus coactum est, examinat, & conclusionem reducit ad principia, ex quibus fluxit, ut constet, quomodo tractatio instituta fuerit. Paucis, quod in medicinâ est anatomia, id in Logicâ analysis est. Reliqua definitionis membra non egent clariori luce.

ARTI.

ARTICULUS VII.

De divisione Disputationis in eam quæ est ad rem & ad personam.

§. 22. Quoniam nemo cum alio in arenam progredi potest; nisi eodem principio cum ipso quî cum congreditur; conveniat; quod omnis disputatio ex aliquibus concessis progrediatur, secus impossibilis futura, cùm in omni argumento relapsus fieret ad principium, quod alter non concessurus esset, atque sic turbidè satis ac tumultuariè disputaretur, & veritas nunquam in lucem protrahi posset. Hinc nec Athletæ ferri solent, qui certamen subituri diversi generis instrumenta apportant. Ideo duplex disputandi genus necessariū est, *ad rem unum*, quo disputatur ex principio genuino, ac verè tali; procedit, esto quod ab aliis pro tali non agnoscatur, sicut Theologi disputare solent ex Scriptura S. in suo nativo sensu explicata, quamvis hujus dignitatem hæretici eludant. *Aliud ad hominem*, quod est ex principio ab altero quô cum disputatur concesso, esto id principium sæpe falsum sit, stat tamen pro principio, quia alter hoc nunquam est negaturus. Est hæ distinctio disputationum non nuper demum conficta; sed ab *Aristotele* proposita l.2. de cœl. cap.12. t.80. & alibi, πᾶσι τοῦτο σύνηθες, μὴ πρὸς τὸ πρᾶγμα ποιεῖσθαι τὴν ζήτησιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν τ' ἀναντία λέγοντα, & jam olim ipso exercitio frequentata. Afferemus aliquot exempla: 1. *Christi*, qui

qui Matth. 19. 17: incidit in hominem legali justitiâ fascinatum, & quicquid aliud lubentius quàm justitiam fidei auditurum: quid, ille ait, faciam, ut consequar vitam æternam? Christus cùm ad rem respondere posset, Crede in me exhibitum mundo Messiam, maluit tamen ad hominem disputare, & confundendo hominem viam sibi sternere ad ejusdem conversionem: respondet igitur ex lege, cùm Evangelii vocem non esset accepturus. Si vis vitam ingredi serva mandata. Sicut Medicus ægroto morbum nondum agnoscenti, diceret, si vis sanus esse, moveas te lecto & inambules. Hic verò memor suæ infirmitatis, annon reponet, Domine non possum? Ergo, ille, medicamenta mea tibi applica. Ita quisquis ille fuit non debebat abiisse, sed excussa sua infirmitate medicum quæsivisse, & ad aliud principium confugisse. Neque tamen Christus jocatus est, sed seriò egit, ac funibus hominum Ose. 11. 4. id est eo trahendi modo, qui apud homines consuetus est, ad se pertrahere miserum hominem voluit 2. *D. Apostoli Pauli*, is ferè semper cum gentilibus quando disputavit ex ratione & lumine naturæ vel alio principio quod ipsi largirentur, cum iis egit. Præ cæteris verò illustre est illud, quod legitur in *epist. ad Tit.* c. 1. v. 12. Ubi Paulus citat Cretensium poëtam Epimenidem, secundum alios Callimachum, hoc elogio suos cives afficientem:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι. κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

quod

quod ita reddit Faber Stapulens.

Gnoßius usq; loquax, mala bestia, viscera pigra.

Occasionem hujus carminis ab Epimenide facti referunt *Hieron. & Chrysost. ad h.l.* fuisse, quod Cretenses Incolæ Jovem non in cœlo vivere, sed in Cretâ, ubi rex fuerat, mortuum ac sepultum jacere dixissent, ejusque tumulo inscripsissent, HIC JACET JUPITER. Hoc ab Ethnicis cæteris ut falsum irridebatur. Callimachus verò respondet, non debere illos mirari Cretensium hanc fabulam, quod ut in aliis, ita & in hoc nihil præter morem faciant. Nam Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, &c. sed, annon hoc ipso splendidè mentitur poëta? Annon Jupiter obiit? num iste omniprocus in cœlo vivat immortalis? tùm sanè nemo Proserpinæ debetur, si hæc scelerum omnium confluges immunis fuit. Argumentum igitur est tale:

Q. vera loquentem dicit mentiri, is mentitur ipse,
Callimachus Cretenses verum dicentes mendacii arguit. E.
Callimachus mentitus est ipse.

Qui igitur fit, quod hominem mendacem pro se D. Apostolus citat? Resp. quia animus ei erat disputare ad personam, ex principio concesso, falso licet: non quod falsitati applauderet, sed ut fortius confunderet homines, quibus ita poëtarum fabulæ aliâs arridebant, ut iis nihil prius aut antiquius habere vellent. *Quæris*; cur igitur Apostolus dixerit, hoc testimonium verum esse? Resp. Testimonium verum esse dixit, non tamen testem, neque

hoc

hoc absurdum, cum enim Archisophista Diabolus diceret Christum esse filium Dei, testis fuit fallax, testimonium verum. Paulus igitur veritatis encomio hoc dictum ornavit, non quia à poëta prodiit, sed quia objectum convenit cum voce: Non enim propterea l. 6. Metaph. cap. ult. *inquit Aristot. quod nos te verè putamus album esse, tu albus es: sed propterea, quia tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus.* 3. *Patrum* contra gentes qui disputarunt, quoti enim vel fabulas assumserunt poëticas, ut vel ex iis confunderent, qui illarum ineptiis assurgebant? *Theoph. Antiochenus* l. 1. ad Autolyc. pro resurrectione mortuorum objicit Herculem flamma absumtum, redivivum tamen, & Æsculapium, quem fulmen tetigit, inter Deos numeratū. *Euseb.* l. 11. præpar. Evang. adducit ex Platone exemplum Armenii, & ex Plutarcho cujusdem Antylli reditionem ad vitam, cujusmodi reviviscentium aliquot ficta exempla enumerat *Plin.* l. 7. nat. hist. c. 52. Quo pertinet fabula de *Phœnice* (verè fabula; nam *Plin.* l. 3 c. 4. refert, eam opinionem ex errore natam esse) nihilominus eam pro se allegare potuerunt patres, quia proprius ipsorum propheta, *Ovidius* scilicet, l. 15. metam. cecinit

—— *quæ reparat, seque ipsa reseminat, ales.*

Adeò necessarium est ad hominem sæpe disputare, quod omnis disputatio ex quibusdam concessis oriri debeat, secus si fiat, inanes culmi excutiuntur.

CAPUT II.

De generalibus præcognitis Logicis.

ARTICULUS I.

De anticipanda terminorum logicorum notitia.

§. 22. Utut tota Logicâ ſcitu ſit neceſſaria bono Diſputatori, neſcio tamen an quicquam in illa magis à ſophiſticis inſultibus nos muniat, quam nominum & eorundem ſuppoſitionum cognitio non ſuperficiaria? nam 1. ſub his latibulis inſidiantur plerumque illi veritatis prædunculi, id quod diſertè *Ariſtot.* teſtatur l.1. ſoph. c.1. quando latibulum iſtud nominum vocat εὐφυέστατον καὶ δημοσιώτατον, ibid. quaſi ein bequeme vnd gemeine Grub / ubi homines fruſtra habent Sophiſtæ. 2. *quia fieri non poteſt, ut res ipſas ferentes diſputemus, igitur nominibus pro rebus utimur ceu ſignis*, ſunt verba Ariſtotelis. Neceſſitatem verò illam tùm percipies, ſi ſophiſmata ob oculos conſtituam, ad quæ vel nihil vel miſerrimè reſponſurus ſis ſine nominum notitiâ. Exempla ſint hæc de termino NIHIL. 1. Q. fit, eſt aliquid. Ex nihilo nihil fit: E. nihil eſt aliquid.

2. *Qui, dum loquitur, non ens loquitur, nihil loquitur.*
Petrus dum loquitur, non ens loquitur E.
Petrus, dum loquitur, nihil loquitur.

3. *Rur-*

3. *Rursus. Omnis non homo est is, ex quo proxima potentia fieri potest homo.*
Equus est non homo E.
Ex equo proxima potentia fieri potest homo.

4. *Omnes electi sunt vocati.*
Pauci sunt electi.
Pauci sunt vocati.

Alia exempla mitto. in his velim ingenium exerceant, quibus doctrina terminorum sordet. Facilis tamen erit responsio, si noveris in his talibus τὸ nihil non esse terminum purè syncategorematicum, sed mixtum, adeoque duo implicare, aliquando idem esse quod non ens, aliquando idem quod nulla res, ut observat Fonseca, l. 1. institut. log. cap. 30. Nullam rem significat in his versibus

Conspectu lucis nihil est formosius almæ;
Vere nihil: nihil irriguo formosius horto,
Floridius pratis, Zephyri clementius aura.

Item. *Nobilius nihil est magnorum sanguine Regum.*
Rursus. *Firmius est adamante nihil, chalybumque metallis.*

Ubi si nihil per non ens interpreteris, quadrata rotundis miscebis. In proclivi nunc erit ad objecta respondere. Ad 1. vel posteriori nihilo posito loco subjecti, nihil, vel non ens, vel nullam rem notabit. Si hoc, hic erit sensus. Nulla res fit ex non ente, ita minor erit negativa in primâ figurâ. Si illud, idem tunc dicturus, ac non ens factum esse ex nihilo, & sic prædicatum hostili-

ter committes cum subjecto, id est, minorem habiturus es falsam. Ad 2. si in majore τὸ nihil sumas pro non ente, major & conclusio erunt vero consentaneâ: si pro nullâ re, major utique fallet; nam qui non ens loquitur, utique aliquid loquitur. *Dices*, non ens, & aliquid esse contradictoria, unde fieri nequit, ut, qui non ens dicit, aliquid dicat. Resp. in hoc miserè hallucinari necesse est, qui Metaphysicam ignorant, nam ut ipsis pro iisdem habetur nihil & non ens, ita cum ente converti τὸ aliquid existimant, quod tamen latius patet: nam τὸ aliquid est individuum vagum cujuslibet objecti, sive ens sit sive non ens, e.g. si concipiam Deum ligneum, utique de aliquo cogitavi; at cogitavi de non ente E. non ens suo modo est aliquid: sicut igitur τὸ nihil significat negationem cujuslibet objecti, sive ens sit sive non ens, ita & aliquid de utroque potest dici; nihil enim & aliquid opponuntur contradictoriè, cum quod nihil est, sit non aliquid: at in justâ contradictione ęqualem amplitudinem terminorum esse oportet: quare ad instantiam allatam Resp. negando antecedens, non ens & aliquid esse contradictoria; quia fieri potest, ut non ens denominetur aliquid, veluti explicatum est. Sic in tertio sophismate distinguendum est, inter negationem infinitam & privativam. Nam non homo in majori est terminus privativus, in minori infinitus, hinc terminorum quaternio. Ad 4. perperam respondetur, duos in eodem

solum

ſolum eſſe terminos. Nam ſyncategoremata mixta ex re & modo conſtant, ex. gr. Ubique ignis urit, id eſt in omni loco: Locus autem revera terminus eſt, ſic pauci eſt ſyncategorema mixtum, & abſolutè poſitum, includit paucos homines, adeoq; includit aliquem terminũ realem. Alius igitur huic nodo quærendus eſt cuneus, & dicendum, minorem ſuperioris ſophiſmatis eſſe negativam. Nam terminus pauci eſt mixtus ex poſitivo & negativo, & hunc habet ſenſum biparticularem, quidam homines ſunt electi, & quidam homines, & quidem plures, non ſunt electi.

ARTICULUS II.

De ſuppoſitionis ac deſcenſuum, ſtatus, & ampliationis prænoſcendâ ratione.

§. 23. Non minor verò utilitas eſt doctrinæ de nominum ſuppoſitione (quâ ſubſtituitur, ſeu ſufficitur vox pro re ſignificatâ, ſicut ſphæra in Aſtronomiâ ſufficitur pro cœlo ipſo, ſphærâ enim demonſtrat Aſtronomus, non de ſphærâ: ſicut in mercatura calculi ænei ſupponuntur pro numĩs aureis, quæ eſt ſimilitudo *Ariſtot.* l. 1. Elench: cap. 1,) de ſtatu item & ampliatione; additur vulgò inchoatio & deſitio; ſed de his phyſicus rectius judicârit. diſcrepatio ad ſuppoſitionem aliquam commodè referri poteſt. Ab hujus doctrinæ cognitione multos hactenus abſterruit perplexa Scholaſticorum & Summuliſtarum obſcuritas,

qui nimium tudiculam (quod est in proverbio) expoliendo, sibimet ultrò labores inutiles fecerunt, *tradiderunt enim præcepta*, (verba sunt Cl. Hornei de proc. disput. cap. 4.) *de vocum acceptione alia, quæ usus loquendi respueret, alia quæ ipse ille per se suppeditaret.* Rectè in hos dici potest, quod in re non valde absimili August scribit l. 2. *de doctr. Christ. c. 7. homines vel sunt ingeniosi vel tardi ingenio: si illud, sæpe citius videt ingeniosus, quid de his talibus judicare debeat, quam ut præcepta ejus capiat, sicut facilius homines levando pedem priorem, & poplitum cardines movendo ambulant, quàm se ambulare animadvertunt: si tardus, nihil proficiet præceptis: sed &* Jesuitæ Juniores idem de veteribus scholasticis conqueruntur, sic enim scribit *Fonseca* l. 8. instit. log. c. 19. *adeò inculta sunt, horrida, & ab usu remota, quæ superioris ætatis homines in hisce sunt commenti, ut nisi plurima rejiciantur, satius sit ea prorsus non attingere*: Et *Hurtad. Mendoz.* disp. 2. summ. s. 5. §. 20. *hâc in parte* scribit, *intolerabiles sunt summulistæ tot regulis, divisionibus ac definitionibus onusti, ut nihil videantur efficere, nisi comminisci tenebrarum machinas, ad debellandos Tyronum animos, ne audeant in tàm tetrum chaos pedem inferre.* Atque hæc fortassis causa fuit, cur nostri logici vel nihil vel parcissimè hâc de re scripserint. Nihilominus quia fieri potest, ut in vocum acceptione erret etiam, qui præcepta grammatica, & rationem loquendi ac Idiotismos linguarum sufficienter novit, idque in omnibus disciplinis; non prorsus sanè abs re

fuerit

fuerit & ftuge, aliquam & quidem quantum necesse est, hâc de re considerationem instituisse. Ecce enim tibi sophisma unum, (nam alia exempla per totum hunc librum sparsa invenies) ex quo difficulter te extricàris ab hâc scientia non probè informatus.

Valentini Gentilis hoc fuit, citante *Bellarm.* l.2. de Christ.cap.7.

Verus Deus neque gignit, neque gignitur, neque procedit.

Unus in essentia Deus gignit, gignitur & procedit. E.


Unus in essentia Deus non est verus Deus.

At est verus Deus E. *neque gignit, neque gignitur, neque procedit.*

Ex doctrinâ de suppositione in promtu est responsum dare, subesse scilicet quatuor terminos. Nam in majori verus in essentiâ Deus vel supponitur simpliciter pro immediatô significato quod est essentia, ita major vera est: essentia enim divina præcisè sumta nec gignit, nec gignitur, nec procedit; minor *verò* in eadem suppositione accepta est falsa. Vel vox Dei supponitur personaliter pro mediato significato, videlicet pro personis divinis, hoc sensu, is, qui verus Deus est, nec gignit, nec generatur, nec procedit. ita major falsa est, minor vera. Eâdem ratione magnum discrimen est inter has propositiones, nullus Deus est tres personæ, & Deus nō est tres personæ, prior vera est, quia supponitur personaliter, h.e. nulla

persona divina est tres personæ: Posterior falsa, quia supponitur simpliciter: sicut non idem est dicere, nullus homo est species, & homo non est species. Vide *Becan*.tr.de person.div.q.3.n.4.

§. 24. Quàm igitur lucidissimè fieri potest, totam hanc doctrinam brevissimè persequar, ne vel de eâ nihil agam, vel expedire se lector ex sophismatibus in parte secundâ proponendis, non possit. Igitur



Multiplicat has suppositiones ac descensus Fonseca, sed quid leget qui hâc de re Mendoza scripserit, is docebitur, nullâ multiplicatione opus esse, sed sufficienter, sinéque ullo terminorum abusu totam hanc doctrinam ita tradi. Remitto autem lectorem ad Philosophum citatum, 1. *Suppositio materialis* est, quâ vox accipitur pro seipsâ, e.g. homo est nomen, verum hoc est non dere, quæ homo est, sed de hâc voce. Materialis dicitur, quia secundum illam vox accipitur pro materia vocis, quæ sunt literæ & syllabæ, cum hæ

mate-

materiam exhibeant, significatio formam. Estque hæc suppositio vel intrinseca vel extrinseca illa, cum vox ponitur ad significandam intrinsecam perfectionem, ut vox est sonus (qui est de intrinsecâ ratione & essentiâ vocis.) Hæc, cum appingitur voci in prædicato aliquid extraneum & accidentale, ut Cicero est generis masculini. De hac suppositione nota, voces ita supponentes non efficere orationem logicam verum aut falsum indicaturam, ut rectè moneat Fonseca l. 8. cap. 12, *hoc suppositionis genus sine scelere prætermitti à logico posse.* Nam nomen logicum est vox significans, seu est signum doctrinale, quod juxta *August. præter speciem, quam sensibus ingerit, aliquid aliud extra se facit cognoscere, cum nihil propriè signum sui ipsius videatur.* Fr. Murcia disp. 1. de rat. term. q. 3. Quo probè observato infra ex difficultatum insolubilium montibus facturi sumus æquabilem planitiem. De hac suppositione intelligenda est illa grammaticorum regula: Omnis vox materialiter accepta est generis neutri & *μονόπτωτος*. Sine enim vitio dicere licet, Cæsar est Dissyllabum. Et ab homo derivatur humanus, pro Cæsar est dissyllabus, Et ab homine derivatur humanus. 2. FORMALIS quæ vox substituitur (non pro se ipsa sed) pro re per ipsam significata, ut Paulus est Apostolus: dicitur formalis, quia significatio est forma vocis logicæ; de hac vera est regula Nominalium, *unam vocem prædicari de alia non ut* QUÆ, *sed ut* QUA; id est, non

D 5 fas

fas eſt dicere (Petrus eſt homo) intelligendo per Petrum & hominem materialiter ipſa nomina, ſed vera eſt hæc propoſitio de re ſignificata: ſicut ſi quis duas effigies contempletur, quarum utraque Cæſarem repræſenat, non licet dicere, hæc effigies eſt illa effigies. 2. SIMPLEX qua accipitur nomen pro immediato ſuo ſignificato. Nota, cujuslibet vocis duo ſignificata eſſe, immediatum unum, alterum mediatum: immediatum eſt, quod vox primò ſignificat, ut homo ſumtus pro homine in communi: Mediatum quod demum per conſequentiam denotat, ut Petrùm vel Paulum, de quibus hæc vox homo ideò dicitur, quia revera homines ſunt. Sic in ſyllogiſmo concluſio immediata hæc eſt. E. omnis homo eſt animal; mediata verò ſi inferas E. per conſequens etiam Petrus eſt animal. Dicitur ſuppoſitio ſimplex à modo tendendi in objecta, nihil in illis efficiendo, ſed ea præcisè ac ſimpliciter conſiderando. Dicitur & ſuppoſitio immobilis, quia in ea non licet deſcendere ad inferiora per ſingulas propoſitiones. Ita ſuppoſitio ſimplex eſt, cum dicitur Apoſtoli ſunt duodecim. hæc vox (Apoſtolus.) àliàs ſignificat non Apoſtolum ſolùm in communi, ſed & Petrum Paulum alioſque in individuo; ſed in præſenti propoſitione notat Apoſtolum ſolùm in communi, quod non liceat aſſerere idem prædicatum de quovis Apoſtolo. Exempla hujus ſuppoſitionis alia hæc ſunt, *prædicamenta ſunt decem*: *Homo eſt ſpecies*: *Deus non eſt perſona*:

na: animal est genus respectu hominis & bestiæ: hominis proprium est ridere: homo invenitur in Petro & Paulo: homo est finis omnium creaturarum: cervus omnium animalium longissimè vivit. Fallit Fonseca lib.8.instit. c. 28. quando tale documentum ponit, nullum nomen commune notatum signo aliquo accipitur simpliciter. Contrarium enim visitur in his exemplis: Omnis homo est omnis homo. Omnis homo est species, &c. De hac suppositione in schemate dictum est, quod in ea descendi soleat descensu copulato.

§. 25. *Est* autem *descensus* in genere aliqua *consequentia, quâ explicatur vox per ea pro quibus actu accipitur*, Fonsec.l.8.cap.19. & Mendoz.disp.2.summ. f.6.§.25. Triplex verò ille est non quadruplex, ut acutè probat Hurtad.l.cit. quorsum lectorem remitto. 1. *Copulatus*, cujus terminus est collectivus, id est, ita comparatus, ut dici possit de suis significatis (non singulis singulatim sed) omnibus conjunctim, e. g. Exercitus debellavit civitatem, id est hic, iste, & ille miles, & omnes conjunctim accepti debellarunt civitatem, quod falsum fuerit, si idem enunciare velles de militibus singulis sigillatim. Paucis, descensus copulatus est, qui fit per particulas ET, NEC nectentes (non propositiones integras sed) partes propositionis. Exemplum affirmativum, Omnes planetæ sunt septem. id est, Saturnus, Jupiter, Mars & omnes simul sumpti constituunt numerum septenarium. Negativum, si verè alicui nihil debeo, rectè assere-

rere

rere possum, Nullum tibi debeo thalerum, quod per hunc descensum ita explicabitur, nec hunc, nec illum, nec istum, nec omnem alium in Universo mundo existentem tibi debeo thalerum. Ex hoc descensu diximus exponi debere omnem terminum suppositum simpliciter. 2. *Descensus distributivus* est, qui fit per particulas ET, NEC distributivè acceptas, nectentes propositiones integras, ut omnis virtus consistit in mediocritate, id est & temperantia consistit in mediocritate, & Justitia in eadem versatur, & similiter modestia, &c. Item, Nullus homo est leo, id est nec Petrus est leo, nec Johannes est leo, &c. Multum interesse inter hos duos descensus liquebit ex hoc exemplo: *Nullus equus requiritur ad equitandum*, quæro verane hæc sit an falsa? certè tutò neutrum asserere licebit. *non* enim 1. videtur esse vera, quia falsum est nullum equum requiri ad equitandum, quid enim quæso requiretur, si equus non exigitur ad equitandum? *non* 2. *falsa*, quia verum est, nullum equum requiri ad equitandum, nam neque Bucephalus est necessarius, cum posses attolli in pegasum, neque ad saltus aut decursiones alias necessariò exigitur pegásus, cum posses equitare Gaii Imperatoris incitato. Imò si cominus haberes omnes in Universo mundo equos, de singulis tamen dicere liceret, hic equus non est necessarius ad equitandum: Ille non necessarius, &c. ut tandem concludere necesse habeas in universum, nullum equum

equum esse necessarium ad equitandum. Igitur ne infortunii balistam tibi Sophista intendat, distinctè responde, scilic propositionem diversimodè exponi posse 1. distributivè; & tunc esse veram, ut ostensum est. 2 copulatè & tùm à vero abludere: quod falsum omninò sit, si quis asseveret, nec hunc, nec istum, nec illum, &c. nec quemvis alium in Universo mundo equum esse necessarium ad equitandum. Etsi enim hic vel iste non sit necessarius, aliquis tamen est necessarius. Hunc duplicem sensum etiam habent hæ propositiones, *Nullum tibi debeo thalerum. Nullus homo necessario salvatur. Nullum concilium ut instituatur est necessarium; neuter oculus requiritur ad videndum: nullus testis requiritur ad conficiendum testamentum: Quinque homines habent quinque sensus.* 3 *Descensus disiunctivus est*, qui fit per particulas, Aut, Vel, vagè terminum referentes, e.g. aliquis oculus requiritur ad videndum, id est, vel hic oculus, vel alter requiritur: ego debeo aliquem thalerum, id est debeo vel hunc, vel istum &c. Monet *Fonseca, subjecta posita ante verba: requiritur, necessarium est: item nomina communia posita post verba debeo, polliceor, desidero, dico: nec non prædicata propositionum Universalium affirmantium, accipi confusè omnia, adeoq; descensum habere disiunctivum.* Id quod probè observandum. Descensum disiunctivum cur non addamus, videsis Mendozam. l. cit. Hactenus intercalaria; jam ad id redeamus unde sumus digressi.

4. §. 26.

4. § 26. *Suppositio* PERSONALIS est, qua accipitur vox etiam pro significatis mediatis. Dicitur personalis fortasse ratione termini ad quem, quia in illâ licet usque (inclusivè) ad personas singulares descendere. Nihil autem hîc aliud est descendere, quàm prædicatum de singulis sub subjecto contentis affirmare. Ita suppositio personalis est, cum dicitur, homo est animal: licet enim utrobiq; descendere, distributivè quidem, quoad subjectum: disiunctivè, quoad prædicatum hoc modo, & hic homo, & iste homo, & tertius homo est, vel hoc, vel illud, vel istud animal vagè. 5. *Suppositio* DISTRIBUTIVA, quæ explicatur descensu distributivo, ex. gr. omnem hominem Deus vult servari, Ergò me vult servari, E. te vult servari, &c. Item nullus impœnitens servabitur, Ergò nec ego impœnitens servabor, nec tu impœnitens servaberis. Documenta hujus suppositionis vide apud Fonsecam. 6. *Suppositio* CONFUSA quæ explicatur descensu disiunctivo, hoc est, cujus significata vagè per conjunctiones vel, aut, recensentur, ut aliquem thalerum debeo, id est, vel hunc tibi debeo, vel istum, &c discrimen hujus & præcedentis luculentum est in his duabus propositionibus, Uterque oculus est in capite: Uterque oculus requiritur ad visionem. In priori oculus supponitur distributivè, in posteriori confusè, ut periculum facturo manifestum erit. Hæc de suppositione tradere placuit, recisis iis, quæ vel ad institutum nostrum non faciunt,

vel

vel minus ſcitu ſunt neceſſaria: ſequitur ſtatus & Ampliatio.

§. 27. I. STATUS eſt *affectio temporis*, ut præſentia loci, hinc in ſcholâ Theologicâ ſæpe auditur ſtatus innocentiæ, ſtatus lapſus, &c. Logicis autem impræſentiarum *ſtatus* dicitur *acceptio termini pro tempore eodem quod ſignificatur per verbum propoſitionis*, ut homo currit, id eſt, homo jam exiſtens currit. Statui opponitur *ampliatio*, quæ tùm plerumque evenit, quando termini ſignificant res incompoſſibiles pro tempore ſignificato per verbum, tunc enim ampliatione temporis opus eſt, ne prædicatum committas cum ſubjecto, exempla ſunt Theologica, coluber eſt virga, Exod. 7. v. 12. χωλοὶ περιπατοῦσι claudi ambulant. Matt. 11. v. 5. hoc eſt, id quod modò fuit coluber, vel quod mox in colubrum rediturum (ut explicat *Auguſt.* q. 12. in Exod.) eſt virga. Item philoſophica, anima hujus pueri incipit eſſe, id eſt, anima hujus pueri, quæ nunc primùm eſt, aut proximè poſthàc erit, nunc incipit eſſe. Eadem trajectio temporis obſervatur in hoc enunciato, vivens moritur, id eſt, nunc deſinit eſſe vel certè immediatè poſt non amplius erit. Non eſſe hæc ὑπὲρ ὄνυς σκιᾶς patet ex ſequentibus ſophiſmatis ex hâc doctrinâ dijudicandis

1. *Q. natus eſt, non eſt naſcendus.*
   Omnis homo natus eſt. E.
   N. *homo eſt naſcendus.*

Item 2. N. *puer eſt ſenex.*

Quidam

Quidam puer factus est senex E: quidam qui factus est senex, non est senex.

Rursus. *Omnis pars corporis Christi est meritoria pro peccatis.*

Omne quod factum est pars corporis Christi, est pars corporis Christi. E.

Omne quod factum est pars corporis Christi, est meritorium pro peccatis.

Hinc porrò sequitur:

Q. factum est pars corporis Christi; id est meritorium &c:

Lac B. Virginis (per nutritionem scilicet) factum est pars corporis Christi E.

Lac B. Virginis est meritorium pro peccatis.

4. *Sic quæsitum est olim in Cœnâ Tauri Philosophi Atheniensis; quando moriens moreretur?* an cum jam in morte esset, an tum cum adhuc viveret, vel certè agonizaret? Quid, obsecro, assumes? an primum? Ergóne mortuus moritur, id est, bis vita defungitur? an alterum? Ergóne vivens moritur? Atqui verò oppositorum unum de altero nulla ratione efferri potest. An utrumque? Ergò utroque modo in absurditatis nassam incides: quid si neutrum assumeres cum Platone, qui hoc tempus (de quo nobis sermo) nec vitæ nec morti dedit? Verum & sic causa cecidisti, cum necesse sit animam aut esse aut non esse in corpore. Ex senticetis istiusmodi nihil te æque educet in planam viam quam ampliationis, & status scientia. Nam Resp. ad 1: in minore homo habet statum,

statum, & sumitur pro homine in præsenti existenti, non pro futuro: in conclusione si accipitur eodem sensu vera illa erit, nullum scilicet hominem existentem demum nasciturum: si accipitur amplè pro homine futuro aut possibili, falsa est; idque non est mirum, quia quatuor sunt termini. Ad II. Puer in maiori sumitur pro nunc existenti, quo quidem sensu maior nihil haber falsi, quod si eodem in statu accipiatur in minori, puerum scilicet nunc talem existentem factum esse senem, falsitatis stigma ei meritò inuretur. Si verò puerum sumas amplè, minorem quidem habiturus es veram, sed maiorem falsam, quia falsum est, nullum, qui fuit puer, esse senem. Ad III. Minor primi syllogismi accipitur vel in statu, vel in ampliatione. *si illud*, tùm sensus est, id quod in præsenti & factum est, & est pars corporis Christi, esse partem corporis Christi: sed tum negatur minor posterioris syllogismi. Nam in illo præsenti, quô mutatum est lac in carnem vel sanguinem Christi, non amplius lac erat B. Virginis. *Si hoc*, tùm sensus est, quod omne id sit pars corporis Christi, quod tempore præterito fuit mutandum in partem corporis. Sed ita minor primi syllogismi est falsa. Ad IV. Utrumque tutò dicere licet, *& viventem mori*, hoc sensu, qui vivit aut certè paulò antè vixit, moritur: *Et mortuum esse morientem*, cum hac ampliatione, mortuus vel est moriens, vel certè paulò ante moriens fuit.

ARTICULUS III.

De non negligenda Exponibilium doctrinâ.

§. 28. Ut in ſuppoſitione, ſic & in Exponibilium doctrinâ ſpinosè olim ſcholaſtici verſati ſunt; nos pro inſtituti ratione lucem illi quoque materiæ affundemus, quod diſputatori noſtro hæc quoque doctrina accurate præcognoſcenda ſit. Primum Exponibile, ſunt *Propoſitiones* COMPARATIVÆ. Comparatio autem omnis vel propriè talis eſt, ſuper quam cadit noſtra naturalis cogitatio, cum ſcilicet forma, ſeu, ut vocant, tertium comparationis utrique ineſt. Huius expoſitio nullam habet difficultatem. ſunt autem propriæ comparationes, quæ ſequuntur, *terra eſt frigidior aqua, aër eſt humidior aqua, Ariſtoteles eſt doctior Platone.* Nam in his tertium comparationis utriq; comparato ineſt, puta frigiditas terræ & aquæ: humiditas aquæ & aëri: eruditio Ariſtoteli & Platoni. Vel deinde abuſiva eſt comparatio, eaque vel 1. cum tertium comparationis alterutri membro ineſt, e. g. melius eſt nubere quam uri, ubi bonitas alteri ſolùm ineſt (nimirum τῷ nubere) non utrique. Hæc exponitur per duas propoſitiones, aientem & negantem: quarũ una tertium comparationis de uno membro affirmat, altera de altero negat, ut, melius eſt nubere quam uri, id eſt, nubere eſt bonum, ſed uri non

non eſt bonum. Ignis non eſt frigidior terrâ, id eſt, terra eſt frigida, ſed ignis non eſt frigidus. Vel 2. cum tertium comparationis neutri ineſt, ut ebrietas eſt melior ſcortatione. Bonitas nec ebrietati nec ſcortationi ineſt. Huiuſmodi comparatio perpetuò exponitur per oppoſitum cum adverbio minus, hoc pacto

Ebrietas eſt melior ſcortatione.

id eſt,

Ebrietas eſt minus mala quàm ſcortatio.

Item:

Nulla beſtia magis eſt rationalis quàm Elephas.

(cum ſit ζῶον εὐαίσθητον, καὶ τῇ συνέσει ὑπερβάλλον l. 10. hiſt. anim. c. 46: confer Lipſ. cent. 1. ep. 50.)

id eſt,

Nulla beſtia minus eſt irrationalis quàm elephas.

§. 29. 2. EXCLUSIVÆ. De quibus quatuor ſunt ἀξιομνημόνευτα. 1. quæ *ſint notæ excluſivæ? 2. quod earum ſit officium? 3. quouſque ſe illud extendat? 4. Quomodo ſint exponendæ?* Primum itaque, *Notæ* excluſivæ ſunt, ſolus, tantum, Unicus, quin; & adverbia, uſque, donec. Sed non ſemper propriè excluſivè ponuntur, idque tùm, ſi e. g. τὸ ſolus ſtet pro ſeorſim; notetque ſolitariam ſine ſocio actionem, e. g. DEUS ſolus operatur, id eſt, agit ſine adjutorio. Item Johannes ſolus, id eſt, ſeorſim, in ſeceſſu, ſcribit carmina. Has non eſſe propriè excluſivas, conſtat, quia non licet dicere, nihil niſi Johannem ſcribere carmina, nihil

nisi Deum operari, quod in aliis exclusivis licet. Late tamen exclusivæ etiam dici possunt, sed exclusivæ societatis, quo pacto dicere solemus (solam fidem non justificare) esse exclusivam subiecti, quod scilicet fides seorsim sumpta ac separata à charitate non justificet. Eodem modo τὸ donec exclusivè ponitur in hoc enunciato; Donec eris felix, multos numerabis amicos. Id est, solo illo tempore præterito, quô fuisti felix, & non futuro, multi tibi erunt amici. Non exclusivè ponitur, in hâc sententiâ: donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum, h.e. quam diu inimicos tuos sternam, & imposterum, n omnem pepetuitatem, vide sis *Chemnit. lib.* 1. i Harm. Evang. c. 7. & *Meisnerum* part. 2. phil. sobr. s. 1. q. 7. utrosque μακαρίτας. II. *Officium* exclusivæ notæ est vel excludere subiectum à participatione prædicati, vel vice versâ, prædicatum à participatione subiecti. Sive exclusiva alia est prædicati, ut prædicamenta sunt tantum decem, id est, prædicamenta non agnoscunt alium numerum, præterquàm denarium: Alia subiecti, ut, solus homo est rationalis, id est, nullum aliud ens est rationale. Cave igitur, ne ex utriusque confusione quatuor terminis tibi imponatur, quod fit in hoc exemplo:

Q. tantum est immortalis, is non est omnipotens.
Deus tantum est immortalis E.
Non est omnipotens,

Nam τὸ tantùm in maiore excludit omnia alia

Dei

DEI attributa diſtincta ab immortalitate, in minore excludit alia entia à DEO diverſa. III. *Extendit ſe hoc officium* aliquando infinitè, quando omne omnino ens excludit, ut cum dicitur, ſolus DEUS eſt adorandus: vel finitè, & excludit ſolùm in certo ordine, cum dico, Catullus eſt tantum poëta, non hoc volo, quod propterea non ſit obſcænus, vel quod non ſit homo, &c. ſed quod in eodem genere, ſcilicet artium liberalium manendo, non ſit logicus aut Aſtronomus &c: Item cum Scriptura S. aſſerit, omne figmentum cordis humani eſſe tantùm malum, non hoc vult, quod figmentum cordis non ſit actio aut diſcurſus mentis, ſed quod non ſit bonum, cùm quo aliàs illud prædicatum connectitur. Regula à quibuſdam proponitur talis: *Excluſiva non excludit concomitantia, & ea quæ eandem numero cum ſubiecto habent eſſentiam*: Verùm ut maximè hoc aliquando procedat, tamen non eſt perpetuum. Nam etiam excludit ὁμοούσια, e.g. ſolus pater generat, quo aſſero filium non generare, etſi ſit ὁμοούσιος. Formalius igitur dicitur Excluſivam excludere ſolùm oppoſita.

§. 30. IV. *Expoſitio* Excluſivæ tot ferè habet nebulas obſcuritatis, quod literas. Commenti enim ſunt veteres ſcholaſtici voces aliquas technologicas, quas recenſet & explicat *Dn. Scheibler.* tr. de prop. c. 7. n. 42. ut ſunt: *Pater, niſe, tenax, ſtorax, canos, pilos fecit, nobis.* Omninò canos pilos fecit vobis hæc ſpeculatio, ut ludit l. cit.

Dn.Scheiblerus. Alii his vocabulis utuntur, iste *regit*, *proram*, *clavo*. Igitur scribunt 1. integrè affirmativam resolvi copulativè, cuius pars prima sit, secundùm aliquos, Universalis, secundum alios particularis affirmans de eodem subiecto, amoto tamen signo: secunda vero sit Universalis negans cum opposito subiecti, e.g. tantum animal sentit, id est omne animal sentit, & nihil præter animal sentit, vel omne non animal non sentit. *Contra*, hæc expositio non est formalis, non enim ubîque procedit, quia 1. hæc, solus homo est Musicus, non potest exponi per Universalem ajentem: Omnis homo est Musicus; est enim proprium τῷ μόνῳ, sed non παντὶ. Eodem modo non sequitur, soli electi sunt credentes. E. omnes credentes sunt Electi. Et ratio manifesta quia particula exclusiva (solum) non est quantitativa sed qualitativa, id est, nullam infert quantitatem propositioni, sed si in subiecto jam dum ante sit nota Universalis, tùm in eadem manet in exponentibus: quia 2. adhuc dubitari potest, num per Universalem negantem exponi exclusiva possit, quia videtur eam resolvi debere in Universalem infinitam (ac illorum auctorum ex sententiâ) ajentem: soli credentes sunt electi, id est, omnes non credentes sunt non electi, quæ per contrapositionem affirmat: Omnes electi sunt credentes. En igitur, exponitur exclusiva per utrámq; ajentem. Prima igitur regula minus valet,

valet, quàm plumbea aut Lesbia: neque ſatis tutum eſt exponere per ISTUM PATREM. Secunda ipſorum regula eſt, quâ excluſivam de ſigno negato jubent exponere per *canos*, vel ſecundum alios per *Regit*, idque diſiunctivè, videatur Fonſeca l.3. c.24. ſed neutra pars rectè regit proram: non illi qui per canos explicant, id eſt, per Univerſalem ajentem, & particularem negantem, quia dantur exempla quæ hanc regulam reſpuunt, e.g. Non tantum omnis homo currit; quæ vera, At eius exponentes eſſent falſæ (quod in formali conſequentiâ, qualis eſt inter exponibilem & exponentem, eſt impoſſibile,) Omnis homo currit, & aliquid aliud ab homine non currit. Neque per regit explicari poteſt, etiam ne diſiunctivè quidem, de quâ re placet aſcribere *verba Hurtadi* diſp.4 ſumm. ſ.13. § 56. *Non tantùm omnis homo currit, quæ contradicere dicitur illi, tantum omnis homo currit, non poteſt reſolvi in* (REGIT) *diſiunctivè per primam Univerſalem negativam, & ſecundam particularem affirmativam: poſſent enim ſimul eſſe falſæ contra leges contradicentium, demus enim currere ſolum Petrum & nihil aliud tunc eſſet falſa hæc propoſitio, Tantùm omnis homo currit, quia habet hunc ſenſum, omnem hominem currere, & nihil præter illum, quod falſum, quia Antonius non currit. Quin & hæc eſſet falſa, quæ priori contradicit, non tantum omnis homo currit, ſi reſolveretur in regit, hoc modo: Nullus homo currit, vel aliquid non homo currit, quia ſuppono Petrum currere, & nihil aliud ab homine,*

currere, & iterum §. 33. ipsa rei natura postulat, copulativè non disiunctivè exponi eiusmodi exclusivam, e.g. non solus ego sum, ineptè expones, vel ego sum, vel alius præter me, cum copulativè ipse Christus exponere videatur illud, apud Johan. 8. c. 16. *solus non sum, sed ego, & qui misit me pater. Hactenus Mendoza.* Quamobrem optima expositio est, quam natura è mammis propinat, ut dicas 1. tantum homo est rationalis, h. e. homo est rationalis, & aliud ab homine non est rationale. 2. non tantum homo est mortalis h. e. homo est mortalis, sed præter ipsum adhuc aliud est mortale. 3. tantum homo inter animalia non stetit in creationis suæ integritate, h. e. homo non stetit, &c: sed alia animalia, quæ non sunt homo, steterunt. Item tantum substantia non est accidens, h. e. substantia non est accidens, & omne ens, quod non est substantia, est accidens: Cave sic exponere. Quicquid non est substantia, id est accidens, nam ens ut sic, non est substantia, nec tamen accidens. In his omnibus rectius quis naturam & proprium judicium sequetur, quam regulas vulgares sæpè irregulares, & vix unquam sine exceptione. Pro coronide enodanda venit controversia non ignobilis: *An exclusiva negato signo semper sit virtute, sive per expositionem affirmans?* Asserit *Mendoza* l. c. ductus 1. *ratione*, quia (non tantum homo currit) affirmat societaté cursus cum homine, negat autem, ut Linacer loquitur, solitudinem: concedit hominem currere, sed ne-

gat

gat quod solus currat. 2. *exemplis*, quia hæc (non solus sum ego) non inficiatur, me esse, sed asserit me esse, & præter me esse alios. Obnunciat huic discursui ille *Cornel. Martin.* in anal. c.3. *Opponit ibi introductus Iesuita hæc exempla, non sola bona opera justificant, non soli sancti pro nobis orant in cœlo, non solus pontifex in definiendo est infallibilis, &c. quæ propositiones si virtute sunt affirmantes, sequetur, bona opera justificare, quamvis non sola: sanctos pro nobis orare, licet non solos: pontificem in definiendo esse infallibilem, esto, non solum. Eodem modo dicat Turca aliquis, solum Mahometem pro nobis apud Deum intercedere, ut contradicas, Non solus Mahomet apud Deum pro nobis orat, mox ille reponet E. Mahomet pro nobis orat apud Deum, etsi non solus.* Respondet ad hæc omnia Cornel. l. cit. *Propositionem exclusivam vel considerari absolutè & sine respectu ad aliam cui opponitur, ita naturâ dictante illam exponi debere per affirmantem. Etenim addit ibi, si quis cætum ingressus, in quo plures sedeant Viri boni, unum ita adoriatur, non solus tu inter hos es latro, nec solus inter eos Vir scelestus: metuendum profecto esset, ne pessimè exceptus frustra auxilium alicuius interpretationis imploraret. Item Phædria Terentiana litigans cum Thaide ait* in Eunuch. act.I. scen.2. *Cedò num solus ille dona dat? Ubi nemo est mortalium, qui quidem non sapiat cucurbitas, & peponem pro corde, fungum pro cerebro, habeat, quin aperte videat, fateri quidem Phædriam dare Thrasonem dona, sed illud negare quod solus det. Vel 2. propositionem exclusivam considerari cum*

respectu ad aliam sibi oppositam, ubi neque de partibus eius, neque qualitate quicquam judicare possis, nisi eam cum altera quam respicit componas, ibi, si exclusiva de signo negante actu opponatur affirmanti, tum si illa affirmans falsa sit, e.g. solum pontificem esse infallibilem iudicem, & verò ei contra dicendum sit per istam, Non solus pontifex est Iudex infallibilis, tùm liquidum est, hanc posteriorem esse virtute negantem, non aientem. atque hoc modo exponendum, non solus Pontifex est Iudex infallibilis, id est, pontifex non est Iudex infallibilis. & alius præter Pontificem (nimirum Sp. S.) est judex infallibilis. Tota difficultas componi hâc ratione potest: In propositione exclusivâ negante τὸ non vel negat tantum solitatem idque viâ naturali (sit ita fas loqui) vel negat simul nexum terminorum, idque viâ obliquâ & artificiosâ. Si prius, propositio exclusiva est virtute ajens, & ita verum dicit Mendoza; si posterius, est prorsus negans, nihil affirmans, id quod est in exemplis Cornelianis. Ut autem constet, quando negatio neget solitatem tantum, & quando simul integram propositionem? hæc teneatur regulâ: Exclusiva de signo negato, negat solitatem tantum, cum prædicatum stare potest cum subjecto; cum stare non potest, negat insuper connexionem totius enunciati. *Sed quomodo exponendæ exclusivæ prædicati?* Resp. eâdem facilitate. Nam Planetæ sunt tantum septem, id est, Planetæ sunt septem, neque alio extra septenarium numero continentur: Planetæ non sunt tantum quinque, sed

ſed præter hunc adhuc alio numero compræhenduntur.

§. 31. III. EXCEPTIVÆ. Harum etiam obſervandæ ſunt 1.*notæ*. 2.*officium*. 3.*expoſitio*. *Notæ* ſunt, præter, niſi, excipe, Præter propter, ut in illo Ennii, *præter propter vitam*, id eſt, vivimus ita, ut videamur propter quidvis potius, quam propter vitam 2.*Officium* Exceptivæ eſt prædicatum attribuere ſubiecto, ſed tamen de aliqua parte ſubiecti idem negare; quare id à quo fit exceptio debet eſſe quid latius re exceptâ (non tamen neceſſe eſt, eſſe quid Univerſale, nam & ſubiectum particulare ſupponitur confusè, à quâ confuſione aliquid excipi quid vetat? e. g. aliquis homo, exceptô Eliâ & Enocho, eſt mortalis) 2. id quod excipitur debet contineri ſub ſubiecto propoſitionis exceptivæ. Unde patet, quomodo ſequens ſophiſticatio aperienda ſit:

Si nullus electus periit, niſi filius perditionis, E. *aliquis electus periit.*

Sed antecedens eſt verum, ut liquet ex Ioh 17. 13. E. *& poſterius.*

Reſp. negando maiorem, quæ tùm juſta eſſet, ſi propoſitio illa ex l. cit. exceptiva eſſet: at non eſt, quia filius perditionis non continetur in numero electorum, Hinc *D. Hunnius* h. l. τὸ εἰμὴ exponi per SED adverſativè, uti hæc vox etiam alibi. Luc. 4. Joh. 5. 19. Gal. 2 16. uſurpatur. 3. Sequitur *Expoſitio*, quæ, quia difficilior, ideò quatuor

tuor præceptis eam manifeſtamus, ita tamen ut naturali judicio plus tributum velimus. 1. Exceptiva Univerſalis affirmans exponitur per unam negativam indefinitam, in quâ prædicatum negatur de parte exceptâ, & alteram affirmantem indefinitam, quæ non differt ab exceptivâ, niſi quod loco ſigni exceptivi ponitur nota alietatis. e. g. Omnia ſunt à DEO, excepto peccato, id eſt, peccatum non eſt à DEO, alia verò entia ſunt à DEO. Obſtant hîc aliquot exempla, quæ videntur non ita exponi poſſe: Unum eſt Hunnæi: Omne animal præter hominem eſſe expers artis medicæ: ubi nefas ſit dicere, Nullum hominem eſſe expertem artis medicæ. Cui addo aliud exemplum: Mors manet ſuper omnes niſi peccatum agnoverint: Falsò expoſueris: Nullus peccatum agnoſcens eſt morti & damnationi obnoxius, datur enim inſtantia in Caino & Judâ, Corn. Martin. anal. c. 12. Reſp. I. propterea cautè dixi, exponi oportere per indefinitas, quæ Univerſales ſunt connexione exiſtente neceſſariâ; particulares, ſi illa ſit contingens. Sic igitur ſimpliciter exponendum, Omne animal præter hominem eſt expers artis medicæ, id eſt, homo non eſt expers artis medicæ, alia verò animalia artis huius ſunt incapacia. *Ratio* huius cautelæ eſt, quia *dictio exceptiva non impedita facit terminum communem, ſuper quem cadit immediatè, ſupponi ſimpliciter* (verba ſunt Hiſpani) ſive, ne iſta obſcuritas ſit ſine luce, in propoſitione exceptivâ pars

vâ pars quæ excipitur non ſemper ſumitur diſtributivè, Ergò in expoſitione non ſemper Univerſalis propoſitio eſſe poteſt, ſed tutius indefinita. Eadem reſponſio eſt ad exemplum alterum. Ubi tamen addo & Reſp. 2. exceptionis virtutem eſſe ſufficientiã, neq; enim excipit, qui dixit, Omnia in A ſunt generis fæminini excipe Cometa Planeta, quia ſunt & alia quæ excipi & Univerſalitatem τȣ κατὰ παντὸς ſupplere debent; idcircò cum ad ſalutem non ſufficiat ſuperficiaria & in labris peccati agnitio, ſed poſtuletur ultrà fides ſalvifica, cum πληροφορία coniuncta, apparet illam exceptionem non eſſe ſufficientem adeoq; formaliter non eſſe exceptionem. II. *Regula* Univerſalis negata affirmati ſigni exceptivi, exponitur ſolâ mutatione, notæ exceptivæ, NISI, in relativam negationem, QUOD NON, e.g. Nullum eſt Unicornu niſi ſit animal, id eſt, Nullum Unicornu, quod non eſt animal, eſt. Item, nemo venit ad filium, niſi Pater traxerit eum, (nõ eſt hic ſenſus, Si quem Pater vocarit ille veniet; quod à veritatis chordâ aberrat, quia Deus totâ die expandi manus ſuas ad populum inobedientem, ſed Ergò Nemo non tractus à Patre venit ad Filium. Sic: Filius nihil poteſt facere à ſemetipſo, niſi quod viderit patrem facientem (quod rurſus non ita exponi debet, ſi quid filius viderit patrem facientem, illud à ſeipſo facere poteſt, ſed) nullum opus non monſtratum à Patre, à filio fieri poteſt. III. *Regula*, Univerſalis affirmata, negati ſigni exce-

exceptivi, exponitur per unam universalem affirmativam, mutatâ exceptionis notâ in coniunctionem copulativam ETIAM, e. g. *Omne animal ne homine quidem excepto est mortale*, id est, *Omne animal etiam homo est mortalis.* IV. Universalis negata, negati etiam signi, exponitur per unam Universalem negantem mutatâ exceptionis notâ, in coniunctionem copulativam, nec, e.g. Nullum animal ne homine quidem excepto est flos, id est, Nullum animal, nec homo, est flos.

§. 32. IV. LIMITATIVÆ. Earum notæ sunt quatenus, qua tale, ut sic, in quantum, quoad &c: suntque vel reduplicativæ vel specificativæ. *Quatenus reduplicativum* dicimus, quando signat subiectum in se continere causam prædicati, e.g. ignis quatenus calidus urit, homo quatenus animal est sensitivus, id est, animal est causa formalis per quam homo est sensitivus. Huc etiã referri commodè possunt, in quibus τὸ quatenus notat solam conditionem sine quâ non, ut agens quatenus tangit, movet, nam approximatio per contactum, non est causa, sed solum conditio motus. *Quatenus specificativum* est, quod significat certam speciem, partem, aut rationem, secundum quam prædicatum convenit subiecto alioquin amplè patenti, e.g. homo (qui multas partes habet) quatenus habet nasum, (id est, secundum nasum) est simus. Corpus sanabile (quod multas considerationes subire potest) quà sanabile) id est, secundum eum considerandi modum, qui est de

corpo-

corporis ſanabilis ſanitate) eſt ſubiectum medicinæ. Ex quo obiter apparet, notas reſtrictivas nõ ſeparare prædicatũ à ſubiecto, ſed ſolum eius amplitudinem reſtringere, quamobrem & particulæ διακριτικαὶ à Theologis uſurpatæ, non cum Neſtorianis ſeparãt, ſed contra Eutychen diſtinguunt, ſecus enim in illis ipſis ſententiis, in quibus adhibentur, fieret contradictio (ut obſervat D. Geſnerus, diſp. 12. pro lib. concord. c. 2. th. 34.) quippe cum Paulus dicit, filium DEI natum eſſe ſecundum carnem, finge τὸ ſecundum χωρίζειν, ſequetur, quod ſola caro ſit nata; at filium DEI natum, & non natum, ἀντιφατικόν. *Expoſitio* eſt facilis 1. quatenus reduplicativi per cauſalem Quatenus 2 ſpecificativi, per relativi qui, quæ, quod, e. gr. homo quatenus rationalis eſt riſibilis. id eſt, quia eſt rationalis. Homo quatenus capillos habet, eſt criſpus, id eſt, qui habet capillos; quamvis hæc expoſitio non videatur ſatis plena eſſe. Quæritur ἐκ ποίας in hoc effato, Joh. 5. 27. poteſtatem ei dedit Judicium faciendi, ὅτι (quod reddit Beza in notis per, quatenus, quaſi καθὼς aut καθότι ſcriptũ eſſet) filius hominis eſt; reduplicativum ſit an ſpecificativum? Reſp. non eſt reduplicativum, quia τὸ ὅτι non notat cauſam ἐξουσίας κριτικῆς, ſecus omnis filius hominis haberet illam poteſtatem, cum à quatenus ad de omni valeat conſequentia: ſed eſt ſpecificativum, poſitum pro relativo, hoc ſenſu, pater dedit poteſtatem judicii, qui filius hominis eſt, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου, hoc eſt, ut ſcribit

bit Pelargus in comm. Joh. pag. 62. διὰ καὶ κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.

ARTICULUS IV.

De praeexercitamento Dialectico.

§. 33. *Sicut corpus squalidißimo carceri inclusum, subitoque eductum solis nequit perferre radios, sed primò in opacum, paulatim in lucidiorem producitur locum: Ita mens ergastulo corporis densißimis veluti tenebris detenta, non subitò ad analytici operis iubar adduci debet; sed dialecticis velitationibus prius exerceri & discere dubitare.* Elegans similitudo *Piccarti* est pag. 408. synops. organ. quâ exprimit eruditissimè scopum organi Aristotelici. Ut enim fidelis Præceptor fuit Aristoteles, ita παχυλῶς quædam præmittere Tyronibus logicæ voluit, ut haberent facultatem aliquam, quâ possent utcunque in vicem disputare, & ludicras velitationes præmittere pugnæ decretoriæ, cum teste Alexandro ἡ ἀπορία sit ὁδὸς πρὸς εὐπορίαν. Quod ut rectè percipiatur, operæ pretium est nosse ex antiquitate, quo ordine suum organum contexuerit Aristoteles? *non enim ea librorum cohæsio est, qualis hodie esse videtur*: sed topici Analyticis fuerunt priores. Nam quem in locum pertinent sophistici elenchi, in eundem & libri topici. Sed elenchi sophistici ab Aristotele fuerunt præpositi operi Analytico E. eidem quoque præmittendi erunt Topici: Maior liquet inde, quia Topici & Sophistici apud Aristotelem

telem steterunt pro Uno libro, quod probatur 1. ex l 2. prior. anal. c. 19. ubi sub titulo librorum topicorum allegat id, quod in elenchis l. 1. elench. c. 4. & l. 2. c. 5: demùm invenitur 2. à naturâ δυνάμεως, facultas enim est contrariorum; ut liquet ex rhetoricis; at verò contrariorum μία ἐπιστήμη, lib. 8. Phys. cap. 1. t. 8. Dialectica autem & Sophistica sunt eiusdem facultatis; hinc Aristoteles lib. 4. Metaph. testatur dialecticum & sophistam non differre δυνάμει sed βίου προαιρέσει. Quod si igitur una scientia est veri & falsi, cur distrahatur in docendo, quæ & naturâ suâ, & facilitate docendi societate gaudet? 3. ex consuetudine Philosophi, quâ perpetuitatem operis indicare solet Exordio & Epilogo sibi invicem respondentibus; at quæ proposuerat libro 1. Top. dicere; ea non octavo concludit, sed extremo demùm Elenchorum; ut perpetuum & cohærens hoc opus esse doceat. Minor superioris argumenti constat ex l. 2. prior. anal. c 19. Ubi agens de modo imponendi alteri per πρόθεσιν propositionis; ὅπερ, inquit, εἴρηται ἐν τοῖς τοπικοῖς, sicut in topicis dictum est. Unde opus Sophisticum & Topicum Analytico præmissa fuisse apparet. *Dialectici* porrò *principia* sunt τὰ ἔνδοξα; quæ vulgò tanquam vera recepta sunt, quæ qui negat, non is quidem illicò falsitatis, sed absurditatis poscitur; quod statuat παράδοξον Eiusmodi verò ἔνδοξα sunt: ex. gr: proverbia, parabolæ, versus

 sen-

sententiolæ χρῆαι, principia etiam necessariò vera, quæ quod tantæ veritatis sint, disputator dialecticus sæpe nescit, quia eatenus solùm iis utitur, quatenus novit cum vulgi opinione ea consentire. Aristoteles, ut sui auditores, præparandi his ludicris certaminibus, haberent locos, unde argumenta accerserent, in iis reponit maximas & principia valde communia, ex naturâ entis eiusque affectionibus petita, ut sunt, sublatâ causâ tolli effectum, &c. quæ non pariunt evidentem scientiam, sed solùm opinionem, imò sæpe falsitatem: Ut hinc constet pueriliter adhuc disputare, qui his maximis aliquid probare conantur, & ambitiose incrustant sæpe eiusmodi canones, persuasi se invenisse, non quod pueri in fabâ, qui si hoc disputandi genere absolvi logicum autumant, ii adhuc nesciunt quô fine logicam didicerint? *Modus* disputandi Dialecticus multiplex esse potest, vel enim 1. προβληματικῶς per interrogationes disputari solet, quomodo philosophi ante Aristotelem disputare consueverunt, ut opinerè Platonis scholâ interrogatoriam illam disputandi methodum in Judæam quoque migrasse, quam secuti Christus & Pharisæi videntur. Unde liquet, interrogativam disputandi rationem non esse sophisticam omnem, nec πολυζήτησιν omnem veteratoriam esse. Nam 1. contraria sunt circa idem, nunc verò vitiosè sæpe & sophisticè quæritur. Ergò etiam aliquando rectè, sineque vitii suspicio-

ſpicione; ſicut, quia datur ſyllogiſmus fallax, indè rectè efficitur, dari quoque verè concludentem. 2. piraſtæ examinatio, diſcipuli à præceptore perita informatio, quid eſt niſi quæſtio? Ergóne illicò turpi cavillatoris titulo vel hic vel ille diffamabitur? minimè gentium. Quare illa demum erotemata vitioſa ſunt, quæ fraudem ſpectant. 2. ἐνθυμηματικῶς enthymematis agere Analytico ad minimum turpe eſt, non item dialectico, atque hunc ratiocinandi modum cum rhetore habet communem. 3. ςυλλογιςικῶς etiam aliquando. Sed quomodo, *ais*, ſyllogiſticè; cum nondum intelligat ſyllogiſmum de quo in analyticis demùm tractatio inſtituitur? Reſp. ſatis eſt illi pro ſuo inſtituto confuſè ſcire quid ſit ſyllogiſmus? Ideo l. 1. top. c. 1. ab Ariſtotele eius definitio proponitur, accuratâ autem enucleatione non indiget, ut qui craſsè de rebus omnibus agat. *Finis Dialecticæ* quadruplex eſt, ut ſcilicet inſerviat 1. πρὸς γυμνασίαν ſive præexercitamentum, quâ animi præparantur ad ſerium certamen, excitatur veritatis inquirendæ zelus; quomodo enim de nodo ſecando cogitet, qui eius difficultates prius non fuerit expertus? 2. πρὸς ἐντεύξεις, quæ ſunt colloquia cum Cajâ & Titiâ in triviis, quibus comparat *Piccartus* p. 133. l. cit. noctes Atticas Gellii, & Macrobii Saturnalia: ſufficit enim Dialectico, ſi cum hominum opinione conſentientia referat. Sic in foro ſæpe ſtantes indocti homines de re aliquâ ſententias cõferunt,

& probant ſua argumenta ex principiis ſæpe falſiſſimis, ἐνδόξοις tamen, cum illa ſui contribules non reſpuant. 3. πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας, confer quod initiò diximus de homine è carcere educendo. 4. πρὸς πρῶτα τῶν ἀρχῶν, ſicut enim, ſcribit *Piccartus* p. 136. *lignum fiſſile facile findas cuneo; Sic principia iſta, quæ per ſe ad veritatem inclinant levi argumento adiuta pateſcunt.*

§. 34. Quod cum ita ſit; conſtat, non debuiſſe Ariſtotelem accuratè tùm dialecticum tùm ſophiſticum opus perſequi, ut fruſtrà ſint, qui vel defectus Logicæ & Sophiſticæ doctrinæ, adjectione novorum, aut locorum, aut maximarum, aut modorum perficere laborant; vel doctrinam hanc imperfectionis accuſant, cum, ut accurata nimis ſit, ingenio tyronum non conveniat. Docuit hoc jam olim ſciolos ſuos ipſe *Philoſophus*; cuius hæc ſunt verba, l. 1. Top. cap. 2. *Hoc ſemel admonere volo, nihil horum me velle ſubtiliter & accuratè docere, ſed tantùm rudem velut formam ſubiicere rerum ſingularum. Ego enim ita ſentio, ad hanc viam atque rationem, quam hoc loco docere inſtituimus, ſatis eſſe, rudem quandam atq; ſimplicem rerum ſingularum habere cognitionem.* In quo tradendi modo diſcrimen relinquit illuſtre inter Dialecticam & Analyticam; Nunquam enim crebriùs illud ὡς τύπῳ, quàm in categoriis, topicis & Elenchis: nunquam rariùs, quàm in analyticis. Sunt qui in Sophiſticis ab Ariſtotele traditis multa deſiderant, ſed ſcopus eiusdem ab omni accuſatione eum

eum absolvet: illa enim solùm sophismata recensere constituit, quæ in probabilium argumentorum conflictu occurrere possunt, idque in respectu potissimum ad sua tempora, quibus totidem modis fallere solebant suæ ætatis sophistæ: vel enim versutè quæsierunt, inde nata est fallacia πολυζητήσεως; vel accusarunt propositionem insontem, ut in fallaciâ à non causâ ut causâ: vel callidè mutarunt statum controversiæ; unde damnantur ignorati elenchi: vel aliis adhuc modis impegerunt. In his omnibus non voluit cuncta ad vivum resecare, sed cavere solùm, ne ludicris disputationibus obessent trivialia sophismata: propriam verò & accuratam falsi confutationem suæ scientiæ ubi natum est, reddit. In specie autem agere de' Dialectico syllogismo secundum omnes partes, id verò sit integram logicam recudere, quod nostri non est instituti, remittimus lectorem ad Topica Aristotelis. Quæ tamen non videntur insuper habenda, infra referam de Sophista cum acturus sum.

ARTICULUS V.

De præcognoscendâ disciplinâ, ex quâ disputatur, & principiis adversarij, quo cum disputatur.

§. 35. Quot sunt, qui cum Alexandri M milite, quem exauctoratum dimisit, de armis demùm

prospiciunt, cum iis erat utendum? judicatur de controversiis, antequam, quis status controversiæ sit, perceperunt. Et quod maximè risu dignum, multi cum ad opponendum invitantur, sollicitè inquirunt argumenta ex Regio & Hippio in logicis; ex collegio Conimbricensi in physicis, & aliis huiusmodi libris, qui si vacui essent ab obiectionibus, ipsi quoq; vacui & imparati venire cogerentur ad opponendum. Aliter ad certamen accinctum esse oportet nostrum Disputatorem. Postquam enim primò judicium de controversiis formale ex logicâ (quæ doceri prius quàm disputari debet) hausit: secundâ navigatione ad materiam descendendum est, illam scilicet, ex qua olim disputare velis. Si in Theologica arena expectare hostem velis, primò tibi legenda Biblia sunt, fidei principium, ac per justa interpretationis media eius sensus vestigandi. Eodem modò in jure quoque procedendum erit & scientiis aliis. Deinde tui adversarii principia & hypotheses, status item controversiæ, probè sunt intelligendi: Historiæ itidem ad unguem sciendæ sunt, quæ, quo tempore? qua de causa? & quibus argumentis, controversia aliqua mota & agitata fuerit? quid olim responsum, quid hodie iterum exceptum? Hoc ordine in suis LL. Communibus & Examine Concilii Trid. disputatori præire *Chemnitius* noster potest. Videndum porrò, bonane consequentia, ex tali principio talis conclusio sequatur, & alia? quæ mox monebimus.

Tùm

Tùm argumenta iniuſſa, ac dubia non ſollicitata, ultrò orientur. Vana denique eorum perſuaſio eſt, qui è locis Topicis argumenta ſe habere poſſe, quibus in pugna decretoria & ſeria ſtare queant, ſperant; Quantum ludicris præexercitamentis ſat eſt, tantum habere inde licet, quod ultra eſt, ex eâ ſcientiâ petendum, de cuius controverſiis diſputatio inſtituta eſt.

CAPUT III.

Continens Diſputatoris ſpecialia

ARTIC. I.

De officio opponentis, deque ſtatu controverſiæ, & eius contradictione.

§. 36. Id omninò primum ſpectare Opponens debet, ut & ſtatum controverſiæ, ſive id quod in quæſtione eſt, exactiſſimè percipiat, removendo ea de quibus nulla diſceptatio, eligendo quæ in quæſtionem veniunt: & ei rectè contradicere nôrit, quod concluſio opponentis ſemper debeat eſſe contradictoriè oppoſita theſi reſpondentis, niſi in vanum quis pugnare, ventoſque laceſſere ictibus velit, germani vocant Lufftſtreich. Niſi enim ſtatui contradicatur, *tàm longè diſputatio diſcrepabit à verâ diſputatione, quantum differt puerorum arundine, & calamis, pugnantium concertatio à vero prælio*, verba ſunt *Corn. Martin.* l. 1. anal. c. 2. Ne verò dicere hoc ſolùm videamur, en tibi rationes ſolis radio ſcriptas: 1. finis omnis diſputationis eſt dividere verum à falſo: atqui id nihil æquè præſtat ac contradictio. Quia enim de ſimpliciter

eodem aliquid dicit, fieri autem nequit, ut idem simul sit, & non sit, hinc verum à falso optimè sequestrat. Quod si igitur id obtinuisti à respondente 1. tuam conclusionem verissimam, ex suis principiis juste fluere, 2. eam contradicere sine ignoratione elenchi eius thesi, jam utique vicisti. Contra respondens in his amoliendis erit totus. Atque in hoc puncto discrepat contradictio ab oppositione contrariâ, in qua utraque pars falsa esse potest, non tamen utraque vera: hoc patet, quia si verum esset omnem & nullum hominem esse rusticum, verum quoque foret, quendam hominem & quendam non esse rusticum, hoc si sit, simul stabunt hæc contradicentia: Quidam & nullus homo est rusticus: Item omnis, & quidam homo non est rusticus. Illud liquet; quia si maximè hæ duæ falsæ sunt, omnem & nullum hominem esse rusticum, non tamen ideò etiam à vero abludunt earum subalternæ, quia à propositionis subalternæ veritate non falsitate ad subalternatam valet consequentia. Hæc ἐκπέπεικοίας, ne quis existimet, satis esse, si conclusio opponentis contrariè solùm sit opposita thesi respondentis 2. Nisi rectè statui contradixeris iniuriâ afficies respondentem, quem accusaris mendacii aut falsimoniæ eius, quæ in mentem ipsi nunquam venisset. Regeret ille rectè, Asino clitellas, non suum esse hoc onus! quod quis intrivit, ipse exedat. Accedit 3. auctoritas philosophi, sic ille l. 8. Top. c. 3. τὸ ἀντικεί-

ἀντικείμενον τῇ θέσει ἀεὶ ὁ ἐρωτῶν συμπεραίνεται. Et alibi, l. γ. Metaph. t. 9. ἐναντία γὰρ ἐστι δόξα ἡ τῆς ἀντιφάσεως. Tria igitur, quantum ad rem præsentem attinet, vitia studiosè cavenda sunt. 1. ne tribuas sententiæ directè, quæ non est ipsius Antagonistæ, sed ex eâ solùm fluit, quia quod tibi non vis fieri alteri non feceris. Sed & sensui. *Bellarminus* scribit l. de Concil. cap. 10. Concilia absolutè non esse necessaria, mox tamen cap. seq. affirmat, ad minimum aliqua esse necessaria. Hæc etsi speciem contradictionis habeant, tamen mihi non licet, hoc crimen ei tuto impingere. quia de sensu, quem hæ propositiones duplicem habent, mihi non constat, quem nimirum Bellarminus velit intentum: nam hæc propositio (Nullum concilium est absolutè necessarium) potest explicari, vel copulativè, hoc modo, nec hoc nec illud nec istud, &c. nec quodvis aliud concilium est necessarium; vel distributivè, hoc concilium non est necessarium, scilicet Tridentinum. quia potuisset alibi, & alio tempore, fuisse: nec illud concilium est necessarium, scilicet Basileense, quia potuisset aliud fuisse, &c. Si priori sensu intelligi velit se Bellarminus, tùm demum gangrænam superinducit suo corpori, id est, sibi contradicit. Si posteriori, nulla est contradictio, cum utrumque verum ipsi esse possit. 3. Ne sensui tuo, sed Antagonistæ contradicas; Neque enim satis est, dixisse, posse illa verba eum sensum habere, quem

tu illi affingis; nam opponens tenetur probare, quod hic ſenſus determinatus non alius eſſe poſſit. Sicut; ſi quis in foro alteri crimen intentet, non ſatis eſt dixiſſe, poteſt fieri, ut reus ſis. Igitur aut cum abſente diſputat, aut cum præſente; ſi cum hoc, dicere debet μὴ συνιέναι, l.8. Top. cap.5. ſe non intelligere, petere explicationem: ſi cum illo, tùm disjunctivè quæſtionem proponet, hoc ferè modò: Vel huius dicti hic eſt ſenſus, vel ille; ſi hic, ſequitur falſum: ſi ille, nihil in eo deſideratur, &c. Adeò difficile eſt alios refutare velle! Hoc onus nemo ſuſcipiat, niſi eius quî cum diſputat, principia, hypotheſes, ſententiam probè & exactè intelligat, ne ludibrium perſolvat ſuo adverſario, vel certè indignationem juſtam.

ARTICULUS II.

De officio probandi, & cui incumbat probatio?

§. 37. Poſtquam rectè contradixit Diſputator, tùm pro ſuâ ſententiâ pugnabit alterutrum efficiendo, ut vel ſuam concluſionem, oppoſitam theſi, demonſtret eſſe veram, vel reſpondentis theſin falſitatis convincat: illâ quidem parte agit propriè quod opponens debet, hâc verò nonnihil ad caſtra reſpondentis abit, cuius eſt præcipuè ea quæ jam compoſita ſunt ἀναλύειν,

oppo-

opponentis verò eſt componere. Ut igitur recto pede progrediatur ad veritatem, formam argumentandi in numerato habere oportet, ne ullâ parte in eam impingat, ſecus in omni aliâ inventione oleum & operam perdidit. Materiam, cuius potior pars præmiſſæ ſunt, & principia, exactè intelligere debet, exque eâ argumentabitur, & quantum poteſt, ſuæ aſſertioni lucem fænerabitur. Cum verò frequenter diſputari audiamus, *Cui incumbat probatio, affirmanti an neganti?* operæ precium fuerit, hunc quoque ſcrupulum eximere. Notentur autem hæ concluſiones: 1. Molem probationis nemo debet facile ſuſcipere, niſi teneatur jure, *ſtultitiæ enim damnandus eſt, inquit Weſenb.* in paratit. l.22. digeſt. tit.3. de probat. & præſum. *qui tam grave onus ac ſumtuoſum nemine imponente aut cogente in ſe recipere vidit*, nam 1. cederet de ſuo jure, atque nonnihil iniquus eſſet in ſeipſum, ſi ſit reſpondens: cui ſatis eſt, hoſtem arcere poſſe, & evertere argumenta contraria, ſua verò operosè munire ac demonſtrare, non eſt opus. 2. Subiiceret ſe periculo ſine causâ, ſicut & Athlèta rectius facit, ictus excipiendo ac defendendo, quam contrarios inferendo, quod hoc non careat periculo. II. Is tenetur probare, qui non per præſumptionem ab hoc munere exemtus eſt, cum autem partes Reſpondentis, ſicut in foro rei, ſemper magis ſint favorabiles, & ipſe quodammodo ſit in poſſeſſione veritatis, nec præſumtio ſit, quicquam permiſ-
ſum

ſum fuiſſe ab eo defendi, quod abſurdum ſit, aut falſum, ideò Reſpondens de jure nunquam tenetur probare. Is igitur, ſi argumenta in contrarium allata diluit, ære ſuo ſe exolvit; arbitrarium eſt, propriam ſententiam exædificare. III. Tenetur probare, ſi provinciâ ſuâ relictâ opponentis officium induat, quod facile fieri poteſt, cum non poſſint hæc officia ita diſtingui, ut non ultrò citroque permutentur, quin hoc ut faciat ſæpe illi honorificum eſt, & ob finiendas tandem lites æquum, ut de jure ſuo quicquam remittat: ſic in foro reus perſonam actoris induit, quando aliquid probat, confer *Bachov. in not. ad volum. poſter. Treutleri* diſp. 4. th. 3. lit. A. IV. Admittere poſſumus, affirmanti ſemper incumbere probationem, ſi affirmantem latè accipias pro contradicente, ſicut in ſollogiſmo diſiunctivo tollere dicitur qui contradicit, ſive id affirmando præſtet, ſive negando. Et quia opponens ſemper eſt contradicens, ſemper ipſi erit probandum, quem ſenſum procul dubio proverbium hoc logicum primitùs habuit. V. *Falſum eſt, affirmantem ſtrictè ſumto vocabulo ſemper teneri ad probandum*, nec admitti per omnia poteſt, quod *Weſenbecius* l. ſupra cit. ſcribit, negantis per rerum naturam nullam eſſe probationem. Contrarium probatur, 1. ex *ratione*, Is probare debet, cuius eſt ſuam ſententiam probam facere, at non ſolùm affirmantis id eſt, ſed & negantis. Ergò. 2. ab *abſurdo*: modi figurarum negativi, ut Celarent,

larent, Cameſtres, &c. eſſent ſupervacanei, ſi negativæ concluſiones non poſſent argumentationem ſubire. 3. ex ipſo jure teſtatur *Bachov.* l. cit. negationem limitatam ad certas circumſtantias probari debere, veluti ſi quis hoc vel illo die non fuerit Romæ, probatur per medium concludens, quia fuit Heidelbergæ. Sic probari poteſt mihi non eſſe ſolvendo & alia. Nec *obſtat* non entis nulla eſſe genera & differentias, aut qualitates, unde probatio ſumeretur. Negatio eſt non ens. E. Reſp. utrumque negatur, 1. major, quia non entis ſunt accidentia intentionalia, licet non realia, quando Ariſtoteles l. 1. poſt. anal. c. 2. (unde procul dubio hæc obiectio dimanavit) ſcribit, οὐκ ἔστι τὸ μὴ ὂν ἐπίστασθαι, *non ens non poteſt ſciri, aut demonſtrari*, per non ens intelligit propoſitionem falſam, ut patet non ſolum ex toto contextu, verum etiam ex loco parallelo, l. 2. Metaph. c. 3. t. 8. *Ita: non entis non eſt probatio, ſcilicet quod ſit; eſt tamen, quod non ſit.* 2. Minor falſa eſt. Eſt enim negatio formaliter judicium mentis de re aliquâ diversâ: fundamentaliter ipſa diverſitas, quæ non eſt nihil, Eccur probari non poſſit, me non eſſe leonem à negatis Leonis proprietatibus? *Dices*, multas negationes probari non poſſe, e.g Q. dogma non legitur in ſcripturâ, id non eſt divinum. Sed dogma de purgatorio non legitur in ſcripturâ, Ergò. Quomodo, *ais*, minor probabitur? Reſp. Dicam; hoc modo. Si alicubi legeretur, legeretur maximè in illis locis, quæ

de in-

de inferno agunt, at ibi non legitur E. nuſpiam. *Quid verò, inquies, tunc faciet Reſpondens?* aut proponet locum ubi legitur, aut nihil reſpondebit? ſi prius, incautus ex ſe faciet opponentem; ſi poſterius, riſui ſe exponet. Reſp. proponet locum ubi legitur, ſed manebit reſpondens, non enim probat, ſed textum ad oculum oſtendit ac illuſtrat, jam opponenti incumbit probare, textum hunc illud non probare, quod ipſe velit. *Relinquitur igitur, opponentem, quà opponens eſt, ſemper teneri ad probandum. ſive argumentum neget, ſive aiat,* Expeditum hoc eſſet, niſi negocium faceſſeret Jeſuita quidam, qui nuper cœpit diſputare, in decretorio certamine in cathedrâ ſemper ſedere Pontificios debere, & reſpondentes agere; ad opponentium verò ſubſellia remittendos Lutheranos eſſe. Nam ait, qui diu poſſeſſor alicuius fundi fuit, præſcriptione ſe tuetur, nec tenetur in judicio probare ſuæ poſſeſſionis æquitatem, ſed expectat, dum contrarium à ſuo adverſario demonſtretur. Ita parem rationem fingit, eſſe in controverſiis fidei. Sed, fac veritatem ita præſcribi poſſe, ut Titius aliquis ſibi fundum hoc jure adiudicat, tamen tum demum habiturus eſſet Jeſuita, quod vellet, ſi poſſeſſio Eccleſiæ, quam ſibi Papa arrogat, nunquam, aut à nemine in controverſiam veniſſet; contrarium autem teſtatur Catalogus teſtium veritatis, quò lectorem remitto.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Officio opponentis exceptivo ad datam responsionem.

§. 38. Nimis frigida & servilis illa disputandi ratio est, quæ opponentem non permittit urgere, aut excipere ad datam responsionem. Quare si à Respondente ei non sit satisfactum, instabit, vel limitando propositionem, quam respondens infringere per instantiam conatus est, vel ostendendo distinctionem ineptam esse, atque facere οὐδὲν πρὸς ἔπος. Hic necessario perstringendus illeq uorundam excipiendi modus est, qui à respondente datâ instantiâ, exemplò reponunt, EST DIVERSA RATIO. *Quæstio* igitur est, *an instantiam eluserit qui diversitatem in exemplis ostendit?* Exemplum pro intelligendâ quæstione adduco. I.*recens*. Calviniani conqueruntur in publicâ synodo aut concilio nondum se auditos esse, male igitur ceu hæreticos se traduci, Argumento instructi tali. Q. in publicâ synodo nondum sunt auditi & erroris convicti, ii perperam hæreseos poscuntur. Calviniani in publicâ synodo nondum sunt auditi, & erroris convicti Ergò. Negamus nos maiorem per instantiam Hymenæus & Philetus in publicâ synodo non sunt auditi, nihil ominus hæreseos damnati à Paulo. Quid si nunc excipiat quispiam esse diversam ratio-

nem

nem, quia Hymenæus & Philætus negarint divinitatem Christi, quod ipsi nunquam sint facturi: Quæstio est *quanti pretii talis sit exceptio?* 2. *Vetustum*, quod memoriæ percommodè objicit *Cl. Hornetus*. Erant seculo octavo & nono, qui omnes imagines damnarent; diabolicum inventum esse dicerent, atque ideò Iconomachi dicti. Alii cultum ipsis offerebant divinum. Prioris opinionis patrocininm edito publico scripto suscepit *Claudius Taurinensis*, in Italia Episcopus; cui se opposuit *Ionas Episcopus Aurelianensis*, qui librum Claudii confutavit tribus libris ad Carolum Calvum. Claudii argumentum tale erat. *Si omne lignum schemate crucis factum voluńt adorare pro eo, quod Christus in cruce pependit; & alia multa illis conveniet adorare, quæ Christus egit per carnem. Vix enim sex horis in cruce pependit, novem menses verò suprà dies sex, fuit in utero B. Mariæ: adorentur ergò puellæ virgines, quia virgo peperit Christum: adorentut & præsapia, adorentur & veteres panni, &c. adorentur asini, adorentur & spina ruborum cum lanceis, &c.* Ad hanc instantiam excepit JONAS, *attendite quæso quàm metaphoricè & syllogisticè loquitur Doctor iste, ab animali enim faciens transformationem ad inanimatum argumentatur, & dicit: si adoratur crux, adorentur & puellæ virgines. De adoratione quippe crucis ob memoriam passionis dominicæ B. Gregorius M. eximius Doctor docet, reliqua verò adoranda esse nemo doctorum, nisi furiosus & mente captus Claudius docet & mox, quia ergò Asinos adorandos:*

orandos propositis necesse esse est, ut tales nobis quaras quales adorari doces, scis enim quia Italici & Germanici malè sunt auriti, &c. Paucis illi qui asserebant cultum cruci deberi, hanc rationem addiderunt, quia Christus sanctissimo suo corpore illud attigit, eique per sex horas affixus fuit: Hanc sententiam ad absurdum deducturus Claudius ita argumentabatur: Quicquid Christus suo corpore attigit, id est adorandum: atqui Asinum, super quo Christus sessorem egit, suo ille corpore attigit E. Asinus erit adorandus; non ille solum super quo vectus fuit, sed omnes alii: quia etiam crucem ipsi adorant, non illam solum in individuo è quâ Servator Mundi fuit suspensus, sed & alias ei similes. Excipit hic Jonas, est diversa ratio, quia crux est inanimata, asinus animatus; negat insuper argumentandum esse à re inanimatâ ad rem animatam. Ejusmodi exceptionibus in disputationibus adhuc hodiernis nihil frequentius, nihil usitatius; sed, addo, nihil etiam ineptius. Nam 1. *talis disputator respondet ad id, quod nunquam fuit in quæstione*, & respondenti calumniosè affingit mentem de suo; nam qui instantiam protulit, is non negavit diversitatem, e: g. inter Asinum & crucem, ut tu dicere debeas, est diversitas in exemplis: neque enim instantia fundatur præcisè super rerum similitudine, aut totali convenientiâ eius, quod proponitur, aut ex quo instantia petitur, sed super convenientiâ formæ ac consequentiæ, hoc sensu, si in tali con-

ſequentiâ, & tali poſitâ majori tuus ſyllogiſmus procederet, valiturus quoque eſſet iſte meus, qui ex eadem majori & eadem conſequentiâ procedit; quod ſi igitur hic meus malè infert, tuus quoque abſurdus tibi videri debet. *Dices*, atqui ſæpe inſtans ait eſſe ſimilem rationem. Reſp. Per rationem non intelligit rem vel materiam, ſed conſequentiam; non hoc vult, quod ſimilis res ſit, quam inſtantiæ loco affert, ſed quod eadem ſequela. 2. *quia diſputat contra ſeipſum*, neque enim poteſt ceu falſum rejicere, quod ex propoſitione nimis univerſali intulit: nam major ejus aut vera eſt, aut falſa. Si vera, cur non hoc dat inſtanti, quod ipſe ſibi ſumit? h e. quo jure ipſe aſſumit ad illam majorem ac aliquid infert, cur non aliquid etiam aſſumere alii liceat, ad aliud quid inferendum? ſi falſa, cur falſitatem oſtendere nemini fas ſit? Quin immò quo inſtantia magis eſt peregrina, magis ex aliis ſcientiis accerſita, hoc rectior erit atq; hoc melius convincet tuam majorem (ample nimis poſitam) falſimoniæ. *Quæris*, quid igitur faciendum opponenti in tali caſu: Reſp. maiorem nimis laxè diſtentam limitare ac reſtringere debet, ac inſtandi anguſtiam injicere ſuo Antagoniſtæ.

ARTI-

ARTICULUS IV.

De stratagematibus Disputatoriis, quibus uti opponens solet.

§. 39. In bello dolus an virtus, quis in hoste requirat? Ita disputator non semper aperto marte & æquo campo pugnare tenetur, sed per cuniculos interdum agere solet. Sæpe enim disputator piratam agit, neque hoc ipsi fraudi est
1. *Stratagema: Ex illis principiis pugnare, in quibus scias Respondentem non inhabitare, sed peregrinari.* Igitur è ratione argumentaberis, & Philosophiâ, apud hominem hujus scientiæ imperitum; ex linguis, quem nosti in his versatum non esse. &c. Quod si respondens dicet, non se teneri ad respondendum, cum disputandum sit in Theologiâ quidem ex principio Theologiæ Scripturâ S. In jure autem audiri debere, non postulari rationes. Tum excipiet opponens, induisse se personam adversarii alicuius, cui hæc responsio nunquam satis fecerit, sed potius urgebit ille, an respondens lumen naturæ aut contemnat, non sine iniuriâ erga Deum, aut putet, lumen naturæ contradicere lumini fidei? non sine impietatis notâ. Juris studiosus reponet, se nunc agere Bodinum aliquem, vel alium extra confinium Romani Imperii existentem, qui velit sibi ostendi nostrarum legum rationes, & deductionem

ex lumine naturæ, & jure gentium. II. *Conclusionem crypticè celare*, quod præceptum Ariſtotelis eſt l. 8. Topic. huius Crypſεως ſingularis artifex Baronius fuit, e. gr. ad ann. 33. n. 10. operosè incruſtat in Concilio primo Matth. 16. ab ipſo conficto, Petrum ſolum decretum feciſſe, ſolum quid de fide ſentiendum clavum fixiſſe; Ut tu inde colligas, totâ quantumvis Eccleſiâ muſſante, à Papâ omnem fidem ſuſpendi debere. Alibi probat latinam linguam omnibus aliis linguis palmam præripere, ſcilicet ut Tridentinæ canoniſationi aliquam lucem affundat. Verum nunquam tantùm mali germanis eſt, ut non & noſtri pueri naſum Rhinocerotis habeant. III. *Onus probandi transferre in reſpondentem*, quod fit petendo à reſpondente inſtantiam, aut ſuæ negationis rationem, unde vulgare illud, aſſertio mea tàm diu firma eſt, donec probetur contrarium. Incautus ſit Reſpondens, ſi herbam porrigat, & dicat, ego probo contrarium. Nunquam autem hoc ſtratagema finem ſuum felicius aſſequitur, quàm cum reſpondens non nudas theſes poſuit, ſed adiunxit rationes ac probationes; Tùm omninò licebit opponenti aſſumere partes Reſpondentis, & examinare ejusmodi probationes, eâ lege, quâ idem reſpondens facturus erat. Longè igitur cautius diſputationem ſcribit, qui nudas aſſertiones ponit, quàm qui eaſdem prolixis probationibus munit. Eſt & aliud incommodum, quod ſequitur IV. *Probationes*

bationes singulas convellere, infirmiores autem potissimùm adoriri. Nec nodum solvit, qui dicit, esse hoc argumentum secundarium solùm : Item argumenta singula non probare, sed omnia conferta. Nam 1. licet sit argumentum secundarium, est tamen argumentum, quod vel bene vel male concludit: si bene, satis firmum est, satisq; primarium. Si malè, jam causâ cecidit qui eô usus est: neque elabetur distinctione inter argumentum primarium & secundarium. 2. Quod singula seorsim non probant, id nec omnia conjunctim. Quæro enim, an argumenta per multiplicationem fiant diversæ speciei ac naturæ, num maneant in eadem naturâ ac robore? Si prius, jam per multiplicationem solam rei natura mutabitur adeoque ex testimonio plurium humano, fiet testimonium divinum; item ex multiplicatione argenti tandem fiet aurum. Si posterius, Ergò idem efficiunt coniunctim, quod singulatim & vice versâ. 5. *Assumere responsionem datam mutilatè, aut in peregrino sensu,* diverso ab eo, quem respondens intenderat, atque exemplo argumentum construere, ut confundatur respondens. Excerpere porrò aliquid, quod fortassis imprudenti excidit, idq; prolixè urgere, aque statu quæstionis a bducere. Attentum igitur respondentem esse oportet, & circumspectum. 6. *Ad iram concitare Respondentem.* Tùm enim hoc affectu præveniente ac perturbante rationis judicium, jam victoria parta est, quod fit 1. per locutiones ac

elusiones sarcasticas. 2.crebras interpellationes, &c. Nihil tum æquè respondenti consultum est. quàm ut habenis injectis affectui, vehementiæ Antagonistæ cedat, mox amicè moneat, ageret humanius, ad extremum consoletur se illo *Senecæ* epist.57. *dementia est, si quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio permittunt.* cavebit tamen suæ famæ præfatione ad auditores, eosque invocabit testes, non se argumentis, sed hominis importunitate ad silentium coactum fuisse. 7. *Multis quæstionibus obruere Respondentem*, cui suaserim tarditatem, ac moram aliquam in audiendo, præcocem nimis ac precipitatam responsionem dissuaserim.

§. 40. 8. *Provocare ad omnium sapientum testimonium* Quoties enim hæc verba audiuntur, major non potest negari; major est canon logicus, &c. Respondens pro antistratagemate contrarios sapientes allegabit pro se, 2.addet modestè, se ab aliorum sententia discedere, legisse se illorum argumenta, sed adhunc usque diem sibi illa satisfacere nunquam potuisse. 3. ad extremum, non se magnifacere, si maximè absurdus sit, cum etiam sapientissimus absurditatem statuere possit, hoc est tale quid, quod cum vulgo non consentiat, quod tamen sæpe tantò verius sit, quantò absurdius. 9. *Imperfectis uti argumentationibus*, *Enthymematibus, syllogismis hypotheticis, dilemmatibus, &c.* Enthymematis stratagematici exemplum suggerit *Collog. Ratisb.* sess.2 p.66. ubi *Hungerus* sic argumentatur, (propositionem majorem, in quâ latebat

nervus

nervus consequentiæ (ἐν θυμῷ servando): Moses ordinavit Aaronem E. ipso fuit superior. 2. syllogismus hypotheticus, pro exemplo talis esto: si sancti pro nobis orant in cœlis, æquum est nos illos rursus adorare ex virtute gratitudinis. Sed prius est verum E. & posterius. Major in hoc hypothetico est probabilitas, quam in illa majori categoricâ: Quicunque pro nobis orat, is rursus adorandus est. 3. Dilemma insidiosum esto vulgatum illud Protagoræ & Evathli apud Gell. l. 5. noct. c. 10. Conventum est inter Protagoram & Evathlum Præceptorem ac discipulum, ut hic didactron persolveret, quam primum in foro vicisset. Hic verò artem abundè doctus, in longum tempus produxit causarum actionem in foro, nec vel semel incepit patronum agere. Mora hæc fit suspecta Protagoræ, igitur discipulum suum in jus vocat, eumq; hoc dilemmate petit: Aut vinces, aut causâ cades, Si prius, jam mihi solutionem debes ex pacto nostro: si posterius; jam iterum debebis ex sententiâ judicis. Longè hoc sophisma speciosius est, sub hâc formâ, quàm si categoricè prolatum fuisset, in hunc fere modum.

Evathlus in foro vincens, debet didactron.
Evathlus Præceptorem vincens in foro, est vincens.
E. debet δίδακτρον.

Rursus: *Evathlus in foro victus debet didactron.*
Evathlus à præceptore in foro victus, est victus.
Ergò debet didactron.

Jam utrobiq; peteretur probatio majoris. Major

igitur prioris ſyllogiſmi ſic confirmatur. Q. promiſit ſe didactron perſoluturum eſſe, quamprimum vincat in foro, is quemcunque tandem vincat, ſi vincit, debet ſtare promiſſo, Atqui Evathlus, &c. Maiorem negaret Evathlus, dicendo ſe promiſiſſe quidem, ſi vinceret, ſcilicet alios à præceptore, quem ut vinceret nunquam in animum ei tempore pacti eveniſſe; non promiſiſſe, ſi vinceret quemcunque.

Maior ſecundi ſyllogiſmi ſic probatur:

Quicquid quis debet victus id verè debet.

Sed Evathlus debet ſolutionem victus, &c. E.

Contra Evathlus limitaret maiorem. Quod quis debet victus id verè debet, niſi obſtet pactum, quod tùm debitionis eum convincat, ſi viciſſet, non ſi victus eſſet. Valla ſi logicus fuiſſet non ita fruſtra ſe cruciaſſet l.3. dial. Rhet. c.55. in hoc ſophiſmate, & tandem *abſurdè* definiiſſet, Judicibus id faciendum fuiſſe, quod feciſſent, ſi Protagoras nihil dixiſſet, & Evathlus nihil contradixiſſet. 10. *Diſtinctionem à Reſpondente allatam nullitatis convincere*, quod tum eleganter fit, quando oſtenditur peccare eam contra leges bonæ diviſionis, e.g. nobis argumentantibus pro benefica ac Univerſali DEI omnium hominum vocatione, Calviniani diſtinguunt inter voluntatem ſigni & beneplaciti, cumque ſuam mentem explicant, voluntatem ſigni ajunt eam eſſe, quâ Deus extus omnes homines invitet, beneplaciti quâ inter hos omnes, aliquos abſolutè nolit ſalvari. Diſtinctio

hæc

hæc absurda prorsus est, inque fraudem veritatis conficta. Nam sic voluntas beneplaciti non est voluntas, sed noluntas; constat autem in bonâ divisione, membra divisa inter se quidem debere dissentire, consentire verò cum toto. II. *Assumere propositionem à respondente prolatam, vel aliunde concessam, eaq; contra ipsum uti.* Exemplum suppeditat Becanus, quando ex hâc propositione à Calvinianis concessâ, DEUM velle peccata fieri, sic argumentatur.

Quicquid DEUS vult, id nos debemus petere ut fiat.
Quotidiè enim oramus: fiat voluntas tua.
Sed DEUS (per vos) vult fieri peccata. E.
Nos debemus petere ut fiant.

ARTICULUS V.

De singulis Respondentis officiis.

§. 41. Omnium primum est *attendere statum controversiæ,* feriatne obiectio thesin, num secus? nam si non feriat; nullâ responsione ulteriori opus. Vana igitur, & incauta nimis ea respondendi ratio est, cum quis dicit, hoc argumentum non est quidem contra θέσιν, nihilominus respondeo. Cur enim Athleta excipiat ictus, qui non se, sed aëra vibrant? II. *Poscere syllogismum in formâ,* illa scilicet quæ semper ex veris eliciat verum; præcipuè autem urgere syllogismum categoricè inferentem, cum aliàs vel vaga nimis futura sit disputatio, verius nugatio; vel certè præsentissi-

mo se periculo objecturus sit respondens. III. *Dispicere de forma argumentandi*, opponens ἀσυλλογισίας reus sit num secus? quod si sit, negabitur tota consequentia; Frustrà sunt materiales illi disputatores, qui neglectâ formâ ad materiam saltum faciunt. Qui in re agunt. 1. quod superfluum, & imprudentes prælio se objiciunt, à quo cum honore se liberare possent. Si enim forma vitiosa sit, argumentum jam est solutum. 2. contra morem ac indolem naturalis judicii. Nam ita naturâ comparatum est, ut de re judicium capturi semper ordiamur à formâ ac ideâ operis: quis enim calceum videns? quis domum? non omnium primò formam contemplatur? 3. quod periculosum, si enim opponens ita argumentetur:

Impossibile est lupum esse gemmam.
Impossibile est adamantem esse lupum E.
Impossibile est adamantem esse gemmam.

Tu verò non attentâ formâ respondere coneris ad materiam, multumque nugeris, quod ad rem nihil pertinet, ut omninò nisi nugari nihil potes si formam negligas: Tùm opponens in ordinem tuas nugas revocabit, & petet sibi responderi ad alterutram præmissam, conclusionem negari non posse, quod ex veris non nisi verum sequatur: Certe cogitatione nullâ assequi possum, quomodo hunc ictum sis exiturus, nisi postliminio examinando formam. IV. *Ad materiam se conferre.* Materia autem sunt propositiones, quæ nascuntur aut ex principio proprio eoq; scripto, ut quæ

ex

ex ſacrâ Scripturâ aut Codice Juſtinianæo afferuntur: aut ex principio non ſcripto, ut ſunt notitiæ innatæ: aut ex principio alieno. Si primum, diſpiciet, annon ſit ſophiſtica loci interpretatio adeoque ψευδερμηνεία? reducatur tùm argumentum ad media interpretationis juſtæ, Si ſecundum, negetur principium eſſe, quod, ſi tale eſſet, talem conclusionis abortum non ſit parturum. Si tertium, negetur illud; ſi falſum ſit, vel diſtinguatur, ſi dubium, quâ de re totâ infra in fine huius tractatus plura dicemus. V. *Reſpondere vel per negationem vel per diſtinctionem.* Fruſtra eſt qui vel ſuam θέσιν prolixè probat, atque ex ſe opponentem facit periculosè nimis, vel ad alia reſpondendo vagatur, quæ non ſunt in quæſtione, adeoque nuda latera ſuo hoſti obiicit. Neque enim opus eſt, ut omnem tuam ſcientiam uno ore effundas, relinquenda opponenti adhuc inſtantia eſt. Omnis igitur, ut dixi, reſponſio eſt, vel per negationem, vel per diſtinctionem. Aut enim præmiſſæ ambæ ſunt veræ, concluſio falſa; Tùm neganda erit tota conſequentia; Eſt enim absque dubio vitium in forma: Vel alterutra præmiſſa falſa eſt, tum illa ſimiliter negabitur, petitâ probatione. Vel eadē partim vera, partim falſa, eſt, hoc ſcilicet ſenſu vera, hoc falſa; tum diſtinguendum erit, atque diſtinctione factâ propoſitio dubia limitanda, e.g. Photinianus ſic concludit:

Q. moritur non eſt Deus.
Chriſtus moritur. E. non eſt Deus.

Reſp.

Resp. ad majorem distinguendo, quod mori de aliquo dicatur diverso respectu, vel secundum divinam, vel secundum humanam naturam. Unde fluet limitatio majoris hoc modo

Quicunque moritur secundum divinam naturam is non est Deus, &c.

Atque sic formata maiore, minor erit falsa.

6. Minorem propositionem nunquam limitare, nisi limitata ante majori : ratio indicabitur infra, cum de syllogismis limitativis tractatio instituetur.

ARTICULUS VI.

Qua expediuntur duæ celebres controversiæ.

§. 42. 1. An respondens teneatur ad quodcunque sophisma respondere ? 2. An teneatur superiorum facultatum Doctor respondere ad argumentum philosophicum ?

SIVE *sufficiatne dixisse*

1. Est sophisma. 2. est argumentum philosophicum ?

Si apertè falsis nobiscum ageret cavillator, tùm contemni eius argumentum illicò posset, nec opus esset τῇ μικρολογίᾳ (ut subtilitatis studium Aristoteles appellat l.a. min. metaph. cap. 3. t.15.) tum enim demum invectiva *Senecæ* locum inveniret, quando ep. 48. scribit, *pudet me in re tam seria senes ludimus, Mus syllaba est : Mus autem caseum rodit: syllaba ergò rodit caseum. Puta nunc, me non posse illud solvere, quod mihi ex ista sententia periculum imminet ?* quod

quod incommodum? sine dubio verendum, ne quando in musci pulâ syllabas colligam; aut ne quando, si negligentior fuero, caseum liber comedat. O pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus, in hoc barbam demisimus, hoc est, quod tristes docemus & pallidi. hactenus Seneca. Quia verò orationes sophisticæ *tumentes* sunt, (utitur hâc metaphorâ Aristoteles, eamq; deducit ex sacrificiis Athieniensibus, ubi cum certaretur de pinguedine victimarum, aliqui ut suæ viderentur obesiores, apertas cultello, spiritu per arundinem inflato, dilatarunt, ut ominatur summus olim Philosophus ac Philologus *Piccartus* in synops. p.414.) & deformes falsitatis buccas minio aliquo formositatis inunctas habent: operæ omninò pretium est mentitum colorem detegere, & operi ipso nativam imaginem reddere posse. Cavere quidem prudenter ejusmodi strophas ac decipulas D. Apostolus Paulus jubet; sed non in totum contemnere: caveri autem eruditè possunt, respondendo ac veritatem vindicando, & larvam detegendo: id enim nisi fiat indoctos semper dubitatio tenet, cum videant aliquid in argumento specietenus verum, propter quod contemni non debeat. Præsertim cum *sapientis opus sit non quidem mentiri, sed posse mentientem manifestare.* l.1. soph. elench. c.2. Ut nihil dicam de pudore qui vel pueros invitare deberet, ad artificium sophismatum solvendorum ediscendum: quoti enim quique sophismate audito squillâ assa rubicundiores facti, ægrè ferunt sibi argumenta talia.

Et diis

Et dici potuisse & non potuisse refelli?

Atque, ut compendium verborum faciam, sic argumentor.

ad sophismata ejusmodi prolata Respondens aut omninò tacet, aut ea irridendo contemnit, quod sophistica sint, aut fucum ostendit. Si prius, fatetur, se victum esse. Si secundũ, injuriam facit opponenti, ut quem sophisticæ reum agat, quod tamen nondum probârit. Semper hic reponet, proba, me sophisma commisisse. Si tertium, id agit, quod eum agere decet. Item, qui negat, se responsurum esse ad tale sophisma, aut ideò negat, quia non potest respondere, aut quia non vult. Si quia non potest, ergò est victus: si quia non vult, aut non vult sine omni ratione, aut habet suæ (ut ita dicam) noluntatis rationem. Si non habet, cur ergò respondentis sedem occupavit? Si habet, ergò edat illam. *Dices*, ideò se respondere nolle, quia argumentum sit sophisticum. *Regeret* opponens, probetur esse sophisticum. Tenebitur igitur respondere ἑκόντ' ἀέκοντί γε θυμῷ, nisi velit omnia sua verba pro oraculis adorari, aut prætoriis edictis haberi, contra quæ nemini mussitare liceat, quod magnæ fuerit arrogantiæ. Denique Senecæ quid, commodi? quærenti respondemus ex Scaligero Ex. 307. s. 3. *Etsi eiusmodi scientia non utilis sit ad machinas farinarias conficiendas, exsuere tamen animum inscitiæ rubigine, eumq; acuere.* Ex Aristote: l. 2. de cœl. cap 12. t. 60. αἰδοῦς ἄξιον τὸ (veneratione dignum esse) ὅτις διὰ τὸ φιλοσοφίας διψῆν καὶ μικρὰς

εὐπο-

εὐπορίας ἀγαπῶ. Dicam tamen *cui bono?* gloriæ, veritatis divinæ illustrandæ ergò, ungues Diaboli Archisophistæ sunt in lucem proferendæ: non quia Ceratinæ aut Crocodilinæ (verba sunt Quintil.l.1.cap.10.) possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. *Dices*: sumptuosissimas temporis impendias melius locari posse; Item de quovis inutili verbo Deo reddendam rationem esse. Resp. 1. Verum hoc omninò, sed inde non sequitur, ad sophismata non esse respondendum, quin potius ostendendum est tali disputatori se tempus inutiliter trivisse; ostendendum est, dico, non nude dicendum, quod nemo alium cogere possit, ut suis verbis nudè prolatis fidem adhibeat. Quare Elenchos nominat Aristoteles, id est, redargutiones, quo innuit, bonum doctorem debere sophistam redarguere, quod tempus oratione ad fallendum comparata tam inutiliter perdat, sed convincendus primum est, quod rem commiserit repræhensione dignam. Secus enim si fiat, id erit actionem omnem ab executione incipere.

§. 43. Alteram controversiam quod attinet, advertendum ante omnia est, non hîc nos instituere opponentem velle, sed docere, quid Juris Respondens habeat, quid non? Præses omninò revocare opponentem omni curâ debet, ut disputet ex principio proprio, ea argumenta afferat, atq; illas locorum scripturæ depravationes, quibus hodiè frequenter uti consueverunt adversarii

versarii; ut auditorio constet, quomodo his talibus occurri debeat, quod si ea quæ scitu cum primis sunt necessaria omnia examinando exhauserit, tùm locum quoque se daturum philosophicis ratiociniis Præses affirmabit. Hoc ita se habet; cum opponens præsidis discipulus est, atque ideò sustinere auctoritatem præceptoris maiorem utilitatem spectantis, atque ipso legem accipere patienter potest. Secus autem se res habet in pugnâ decretoriâ, in quâ negabit opponens, se ullam opponendi legem à Respondente accepturum, suumq; jus urgebit, in hoc casu jam quæstio est, an liceat respondenti tergiversari? Esto auté de eâ re conclusio I. *Honorarium est Theologo plenè respondere etiam ad argumenta philosophica.* 1. *Propter ipsam philosophiā*, ne veritates ac dona Dei patiatur inter se committi, ne extra usum philosophiā abunde comēndet, sed cum ad usum eius perventū est, infanté cum ipsis sordibus eiectare videatur, perinde ut Plato, qui etsi Poësin magnificè laudet, nihilominus Poëtas ob quędam eorū vitia è Repub. exterminatam, Homerum a.unguētis prius delibutum honestè dimissum vult; 2. *Propter adversariū*; qui reponet, respōdete, aut fatemini vestrā Theologiam adversari sanæ rationi: jamque olim hæc cantilena cantata fuit à *Bellar.* l.4. de Eccl. c. 11. qui hoc nomine in Lutheranos invehitur, *quod tenedt Dogmata, quæ cum quolibet paradoxo comparari possunt, quæ non super aut præter-, sed contra omnem rationem militent.* Quod si enim Theologi est ἐπσομύζειν

das

das Maul stopffen/ id est, omnimodam excipiendi angustiam injicere, ita omninò ei respondendum erit, ut nihil habeat excipere, sed cogatur abire cum Sadducæis, quorum ora Christus obturarat. 3. *Propter auditorium*, quod suspensum est ad audiendam aliquam eruditam responsionem; Juventus præsertim non absterreri debet hoc philosophiæ contemtu, atq; ita ignavia ejusdem foveri. Quis enim illi studio animum, vel mediocriter solum applicet, quod, cum eo uti velis, audias irrideri, contemni, damnari? II. *Æquum est ac juri naturæ consentaneum ejusmodi argumenta, non prorsus contemni.* Quod enim tibi non vis fieri alteri non feceris. Quoties nostri argumentum sumunt, ex ratione ad illustrandum aliquid; quod fidei est, id verò ægrè ferremus prorsus contemni ab adversario, cur igitur rejiciamus, quod ille attulit? e. g. nos argumentamur, quod bona opera non mereantur vitam æternam; ex illo principio; finiti ad infinitum nulla est proportio; ita ferè Paulus Rom. 8. concludit. Quid si nunc eodem principio utatur Calvinianus contra omni præsentiam carnis Christi, non hoc argumentum prorsus rejiciendum est, sed justâ aliquâ limitatione depellendum. Item quæstio est, an personæ Deitatis differant, ut realiter distinctæ personæ? quod probamus inde, quia differunt ut Pater & Filius, argumentum est tale.

Quæcunq; differunt ut Pater & Filius, illa differunt, ut distinctæ realiter personæ.

Sed prima & secunda persona Deitatis, &c. E.

Minor quidem est revelata, sed non itidem major, quæ constat ex lumine naturæ, cujus perfectio philosophia est.

Quod si nunc eodem modo, argumentetur Photinianus.

Quæcunque differunt ut Pater & Filius illa differunt essentialiter, &c.

Certè irrideri hæc propositio non debet, sed responderi oportet. Nam cur pro se non liceat Photiniano citare lumen naturæ, quod tu pro te adducis in eadem materia? Æquum deinde etiam est ex aliâ causâ, quia, quæri meritò potest, cur operosi sæpe esse soleamus in conciliandâ S. Scripturâ, cum historiâ profanâ, videantur variæ disputationes ad Luc.2.v.2. Quid igitur mali philosophia fecit, ut ejus difficultates nullius docti ingenium exercere debeant? III. *Necessarium non est necessitate absolutâ respondere ad ejusmodi argumentum,* quia ex scripturâ etiam laici possunt redarguere conclusionem, ei dictum scripturæ opponendo, quâ quidem ratione sibi, licet non suo adversario satisfaciunt abundè, Refert *Iren.* l. 3. cap. 4. quasdam gentes barbarorum suo tempore symbolum Apostolorum sine traditione habuisse, illis, inquit, Si quos annumeraverit, quæ ab *hæreticis inventa sunt, statim concludentes aures longo longius fugiunt, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.* Ita Laici satis habent opponendo cuivis argutiæ suam catechesin. quo quidem modo

modo non satis respondit Doctor δυνατὸς ἐπιστομίζειν, cujus est non sibi solum sed & adversario satisfacere. IV. Necessarium tamen est necessitate hypotheseως; si 1. se velit Doctorem præstare ac militem fortem hic enim pluribus eget armis, quàm alii, qui sub ejus clypeo se tutantur. Scilicet, ut iis, qui primum usurparunt tormenta bellica non licuit objicere: Vos pugnatis novis machinamentis; Ergò vobiscum non est præliandum. Ita Duci in acie sacrâ turpe est dicere, vestra argumenta sunt Philosophica, Ergò sunt contemnenda. Neque enim Respondentis est legem ferre opponenti, ex quâ parte eum adoriri debeat, cum dolus an virtus quis in hoste requirat? Quin potius contra omnes insultus instructum esse oportet. Si 2 comprimisit in logicam disputandi rationem, uti quidem, nisi hoc pactum ineat, nemo facile cum ipso descendet in arenam. Proponatur e.g. talis objectio

Nulla relatio justificat, quod relationis non sit motus, l.5. phys. c.1.

Fides est relatio. E.

Fides non justificat.

Respondeatur nunc ex scripturâ producendo ea loca, quæ hominem justificari ex fide asseverant. Respondebitur quidem, sed non logicè, negabitur enim conclusio concessis præmissis, contra omnem bonam logicam. *Dices*, tacere debere omnem rationem Scripturâ S. loquente. Resp. aut talis respondés prius prolixè ex mediis

bonæ interpretationis demonſtravit hunc, & non alium iſtius loci ſenſum eſſe poſſe, aut nondum demonſtravit. Si prius, magnâ quidem operâ, quâ ſuperſedere poterat, reſpondit; ſed indirectè & ſtratagematicè ſolum, quid ſi ulterius urgeat opponens ſibi directè, & pro ratione promiſſionis initio præſtitæ, reſponderi? Si verò nondum explanavit perſpicuè nunc, & non aliũ ſenſum eſſe poſſe, tùm regeret talis opponens id quod Auguſtinus ſcribit epiſt. ad Marcell. 7. *Si manifeſtæ certæq; rationi velut ſanctarum ſcripturarum objicitur auctoritas; non intelligit qui hoc facit; nec ſcripturarum illarum ſenſum ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius objicit veritati: nec quod in eis, ſed quod in ſeipſo, velut pro eis, invenit, opponit.* Hoc quidem liquet Scripturâ S. loquente in ſuo proprio ac nativo ſenſu, rationem tacere debere, ſed cum is ſenſus ſcripturæ eſſe non poſſit, qui ſanæ rationi contradicat, alterutrum faciendum erit; aut reſpondendum ad præmiſſas vindicando ſcripturæ ſenſum, quem tu illi tribuis, aut fatendum ſcripturæ alium ſenſum eſſe. *Dices*, hanc eandem ſententiam Socini eſſe, qui ſcribit ratione contradicente, ſcripturam figuratè explicandam eſſe. Reſp. ideò cautè Auguſtinus dixit. *Si manifeſtæ certæq; rationi.* Socinus ob qualemcunque etiam erroneam rationem exiſtimat fugiendum eſſe ad tropum: Auguſtinus, ſi ratio ſit certa & manifeſta, (e. g. cum manifeſtè abſurdum ſit Deum eſſe corporeum, ideò loca quæ brachia

Deo

Deo aſſignant per tropum ſunt explicanda) Tam diu certa ratio eſt, quamdiu tu eam non potes reſpondendo infringere, etſi enim in ſe ſit erronea, tamen quantum in te eſt, errore caret, quia errororem oſtendere non potes? Videtur denique huic noſtræ aſſertioni obſtare illud *Ariſtotelis* effatum quod legitur l. 1. poſt. anal. c. 11. t. 88. *Neque par eſt, ut ad quaſvis interrogationes unusquiſque, qui aliquam artem profitetur reſpondeat; ſed de is tantùm ratio reddenda eſt, quæ propriè ad eam quam quiſq; tenet ſcientiam, pertinent.* Reſp. aliud eſt reſpondere ad omnes quæſtiones, aliud reſpondere ad præmiſſas concluſionem ex terminis domeſticis ſuæ ſcientiæ, efficientes. Hoc vult Ariſtoteles Doctorem Theologum non debere reſpondere ad quæſtionem philoſophicam aut juridicam: ſed cum quæſtio Theologica eſt, e.g. an ex fide juſtificetur homo, tâm reſpondere tenetur non ſolùm hanc ipſam affirmando verum etiam contradictoriam, quæ eſt, hominem non juſtificari ex fide negando. Cum autem Logici non ſit negare concluſionem conceſſis præmiſſis ab his etiam veritas vindicanda erit. Aliud eſt quando opponens quærit, eſtne motus aliqua actio, aliud quando hoc pro certo ſumit, & ex eo infringere laborat id quod fidei eſt. Prius relinquit Theologus phyſico aut metaphyſico, poſterius ſi falſum ſit vel negat per inſtantiam vel limitat ſuppoſitâ diſtinctione. Deniq; aut ideò reſpondendum non eſt ad argumenta philoſophica, quia non poteſt reſponde-

ri, aut quia non debet: non hoc, quia nulla lege id prohibitum eſt: non illud; quia quicquid contra fidem affertur eſt argumentum ſolubile, ut teſtatur Thomas part 1.q.1. art.8. Quid enim facilius eſt, quam diſtinguere inter relationem prædicamentalem & tranſcendentalem, deq; priori concedere maiorem, ſed negare minorem. De poſteriori concedere minorem, ſed negare maiorem. Addo aliud exemplum pro maiori luce. Nihil uſitatius eſt pontificiis doctoribus, quam Ethicam præſcribere Chriſto, e.g. Maldon. in cap. 28. Matth. ſcribit primùm matri ſuæ Chriſtum apparuiſſe, non quod Evangeliſtæ factum dicant, ſed quia fieri decuerit, credendum eſt, contra expreſſum teſtimonium Marc.16.9. Argumentum è ratione oppoſitâ ſcripturæ erit tale. Q. ut fiat decentius Deoq; convenientius eſt, id omninò factum eſſe credendum eſt, ſed Chriſtum primò apparere ſuæ matri decentius eſt, &c. Ergò. Quid facilius eſt, quam reſpondere ad minorem eam negando & petendo probationem. Unde enim illa probabitur? ex revelatione? at illa contradicit. ex ratione? tum talem illa protrudet abortum. Quicquid rationi videtur decentius eſſe, id revera Deo decentius &c. Negabitur à bono diſputatore iterum hæc maior ob manifeſta Dei teſtimonia, Eſa.55.8. Pſ.35.6. Eccleſ.16.21. Matth.16.23. Iterum igitur probabit Maldonatus: ſed unde ex revelatione an ratione? fatigabitur tandem ineptus ſophiſta. Satis hâc de controverſiâ dictum

eſto,

esto, in quâ aliorum judicio exactiori, meum, aliud edoctus, modestè subiicio.

ARTICULUS VII.

De stratagematibus Respondentis.

§. 44. 1. *Καλαβιαιον retorquere argumentum in opponentē, aliudq; fortius objicere κατ' ἀνθυποφοράν*, quodquidem non est argumentum solvisse hominem tamen confudisse: 2. *Negare in infinitum, nullâ additâ negationis ratione aut positâ instantiâ*, quin potius continuò urgere probationes, & probationum probationes donec tandem opponens, vel in errorem labatur manifestum aut probationum defectu laboret. Frustra sis, si petas tibi dari negationis rationem, excipiet enim Respondens, se non teneri probare, sibi hoc onus non incumbere totum illud premere opponentem. 3. *Nullum syllogismum nisi in primâ figurâ admittere* ut ita, præsertim Logicæ ignarum, molestè cruciet reductione syllogismorum, tùm crypticorum, tùm imperfectiorum ad primam figuram. 4. *Ad iram commovere opponentem*, sarcasticè illudendo vilitati argumenti. 5. *Illud opponenti negare, ad cujus probationem ipsum novit minimè esse instructum*, e. g. si sit homo ignarus Dialecticæ, aliquid in formâ argumenti desiderabit: illamque propositionem in dubium vocabit, quam opponens Jovem jurasset lapidem, sua luce radiare, ut à nemine negari possit. Tùm enim eâ parte suum hostem adortus est, quæ præsidio caret.

DE MALITIOSO SOPHISTA; SECTIO II.

CAPUT I.

Continens naturam & pracognita sophistices in genere.

ARTICULUS I.

Quid sit sophista & quid sophistica?

§.1. SOphistæ nomen olim in bonam partem acceptum esse, soli illi nesciunt, qui nihil sciunt: eodem tamen infortunio, non suo sed abutentium (inter quos celebres olim extitere, Hippias Gorgias Leontinus, Prodicus) vitio afflictum est, quo vox Magi, Latronis & similes. Sophista latinè rectè redditur Cavillator, de quâ voce consulatur Martinius in lexic. p.419. appellari etiam per περιφερειν consuevit, affaniarum præco, fumorum venditor; & describi solet: quod sit homo habens loquentiæ multum, eloquentiæ parùm, sapientiæ modicum, conscientiæ nihil quicquam, qui

De nihilo magna & de parvo maxima fingat.

Sophistica verò dicitur ars ὀψοποιητικὴ, κλεπτικὴ, cavillatoria, fallax: & sophismata olim LOGI dicta sunt à Terent. in phorm. 3. 2. vide sis Taubman. in Plauti Menæchm. act. 5. sc. 2. Elenchi etiam dicuntur, sed ut virgo vitiata, pulchritudo fucata nominari solet Piccart. synop. p.409. Hæc

de

de nomine ſatis ſunto. Placet accuratius ſophiſtæ ingenium ceu in emblematibus vermiculatis contemplari & quidem primo ſophiſtam in concreto, deinceps in abſtracto ſophiſticen definire; nam *qui vult ſcire quid ſit anima intueatur animatũ, ita ſuadet Averroës.* ſophiſtam à proprio ſuo definit Ariſtoteles, c. 2. quod ſit χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας ἀλλ' οὐκ οὔσης. Duæ igitur ejus ſunt proprietates. 1. *Lucri cupiditas*, venalem enim profitetur ſapientiam, dum injuſtiſſimarum cauſarum patronum agit in perniciem proximi, ſui verò marſupii ſalutem. Ejuſmodi ſophiſtas qui quærit, non is eget Diogenis lucerna. 2. Κενοδοξία quando ſapientiam profitetur apparentem non tamen exiſtentem, adeoq; ſub vanitatis ſigno ſtipendia meretur. ſimul ac enim de modicâ eruditione ſibi eſt conſcius, illico ſimiolum ſui catuli fallunt, & jam ſe eum eſſe arbitratur, qui vel cum doctiſſim certare poſſit: hoc ſuperbiæ typho inflatus incidit in facultates ſuperiores, tumultuatur, & quam ceu canis è nilo deguſtavit aquam illicò deportat ad nivea Theologiæ cum primis carbaſa ſalivâ petulanti denidranda, cumque turpe eſſe exiſtimet de novo aliquid diſcere, ignorantiam ſuam ſupplet ſopiſticâ vanitate; quin eo progreditur audaciæ, ut quia πανεπιστήμονα ſe jactitat, cum ſophiſta illo in Gorgiâ Plutonis gloriari non erubeſcat οὐδεὶς οὔτε ἐπὶ πολλῶν ἐτῶν καινὸν δὲ μὴ ἠρώτησε, *nemo à multis annis me aliquid novi quæſivit.* Exemplum propinat è multis Raym. Lullius Barci-

noensis sive Balearicus Medicus, atque Theologus Eremita, qui quandam invenit artem prodigiosam, dialecticę ita similem, ut monstrum justo partui est, per quam de quovis subjecto, quis valeat in partem utramq; disserere, nec ullum vincendi locum aliis relinquere, resque minutas in im̃ensum dilatare. Addit Corn. Agrippa in præf. com. artis Lullianæ, hujus artis operâ Dagninum Mediatum, & Jac. Januarium homines Italos tribus mensibus, cum ante vix elementa prima literarum calluissent, evasisse παντεπιστήμονας & admirabiles. Verum quia concamerati illi cancelli, illæ circulorum triangulorumque compactæ turbæ (monstra scilicet quæ si vidisset Hercules, peremisset) ad doctrinæ ostentationem potius quàm ad comparandam eruditionem valuerunt, longeque plus audaciæ quam efficaciæ habuerunt, verba sunt ipsiusmet Corn. Agrippæ l. de van. scient. c. 9. ideò ars illa in herba extincta est.

§. 2. Hactenus sophista ex definitione Aristotelis. Ex quo illud colligere est, sophisticam esse vitium magis morale quàm intellectuale, ut sophista nequaquam dicendus sit 1. *ille*, qui fallacia quidem argumenta affert, & ideò à Respondente corrigitur, ejus causam perorante ignorantia, sed qui ex ignorantiâ compositâ, quæ Aristoteli dicitur κατὰ διάθεσιν, aliquid cujus falsitas ipsum non latet, propugnat, vel 2. *qui tentationis aut examinis gratia proponit argumentum*, quod si ex ore sophistæ fluxisset, sophismatis nomine fœderetur: Unde pira-

de piraſtica argumenta a philoſopho diſtinguuntur ab eriſticis & litigioſis. Nam examinator datâ operâ ſophiſma proponit non ad nocendum, ſed vel ad erudiendum vel ad veritatem è latibulo protrahendum, e.g. Ariſtoteles l.1.ſoph.cap.12. tradit modum aliquem ad contradictionem redigendi, ſcilicet per varias quæſtiones, quæ plurimæ confundunt diſputatorem incautum, ut ſæpe ſua ipſius placita evertat. At verò hunc modum exercent, qui in torturâ facinoroſos examinant, multisque ſæpe & confuſis interrogationibus veritatem expiſcantur; nefas verò ſit Magiſtratum ſophiſtæ nomine dehoneſtare. Ergò non oratio, ſed mens & ſcopus proponentis reſpiciendus erit. Eodem ferè modo diſcrimen inter artem & prudentiam aſſignat *Seneca* ep.95. *in illa*, inquit, *excuſatius eſt voluntate peccare quàm caſu: in hac maxima culpa eſt ſponte delinquere, quod dico tale eſt; grammaticus non erubeſcit ſolœciſmum, ſi ſciens facit, erubeſcit ſi neſciens: at in hac arte vivendi turpior volentium culpa eſt*, & Craſſus apud Cicer. l.1. de orat. n. 27. Cæterarum artium ſpectati atq; probati homines, ſi quando aliquid minus benefecerunt, quàm ſolent, noluiſſe putantur noluit, inquiunt, hodie Roſcius agere, crudior fuit. Ita piraſta etiãſi volens proponat, quod in ſophiſtâ culparetur, tamen ideò non eſt ſophiſtâ, uti nec Grammatico vitio fertur, ſi volens ſolœciſmum commiſit, aut pictori ſi de induſtriâ in pingendo aberravit. Quare diſputatori licebit ſuperioribus ſtratagematibus

matibus ſine ſcelere uti, quibus ſi ſophiſta uteretur, nihil eſſet pernicioſius, hinc Quintil, l.2.c.20, multa fiunt eadem, ſed aliter. Neque ex adverſo à Cavillatoris nomine immunis eſt, qui veritatem elocutus fuit. nam ſophiſta Tautologus veriſſima dicit, quis enim dubitet de veritate hujus coccyſmi? Quicunq; coccyzat, coccyzat. Cuculus coccyzat E cuculus coccyzat. Relinquitur igitur SOPHISTAM *eſſe Perſonam mendacem ſub ſpecie virtutis imponentem, ductum lucro & gloriæ cupiditate accenſum.* Dico ſub ſpecie virtutis, ejuſque vel veritatis vel juſtitiæ vel fidei, nam & his modis, non ſolo veritatis velamine obtectus fruſtra habere ſolet homines cavillator. SOPHISTICAM deſcribit Philoſophus, quod ſit φαινομένη σοφία ὖσα δὲ μή: Scholaſtici *ſophiſticen* definierunt, quod ſit *idoneitas decipiendi, faciens credere de ente, quod ſit non ens, & de non ente, quod ſit Ens mediante phantaſticá viſione.* Non ens ipſis idem eſt quod falſum, ſicut & ex Ariſtotele ſupra annotavimus. Phantaſtica viſio ipſis eſt perfunctoria cognitio. Nobis ita definietur: *Sophiſtica eſt Verſutia mentiendi ſpecioſè:* Ipſum verò ſophiſma definiri poteſt, *mendacium ſpecioſum.*

ARTICULUS II.

De finibus ſophiſtæ.

§. 3. Enumerat ejus fines Ariſtoteles l.1. ſoph. el. c.2. quinque, quorum ordine 1. eſt ἔλεγχος, *ſive*

sive redargutio. Ut enim Sophista simius est boni disputatoris; ita & ipse eò omnes vires intendit, ut eò adigere disputatorem possit, ubi propria vincta cedere necessum habeat; quod præstat vel 1. *erroris confessionem eripiendo*, ut fateatur se impegisse. Scilicet victoria sophistæ, ut militi scopus est: veritas interim succumbat an emergat, nihil pensi habet, dum modo illi persuadendo

Nil intra esse oleam, nil extra esse in nuce duri,
Egregiam laudem, digitos famamq; reportet:

2. *Contradictionis admissionem extorquendo*, quia conatur ut quis id neget, quod in eadem disputatione asseruerat, Exemplum *Fonseca* l.8 instit.log. c 3. proponit tale. *Infitiare te nunc ambulare; sophista inferet, nonne quisquis eras heri, ille etiam nunc es? heri autem eras deambulans. Ergò etiamnum es deambulans. At negas te deambulare. Deambulas igitur & tamen non deambulas*, scilicet hædus saltat in tecto & capra nondum peperit. Hunc finem assequi sophista facile potest, vel in pugillares annotando quæ in extemperaneo discursu exciderunt, atq; intendendo si forte aliquid dicatur, quod vel in speciem solum contradicat priori assertioni: quâ quidem ratione si non vicit, à controversiæ tamen cardine abduxit eum, quî cum disputat. Vel per multiplicem interrogationem (quæ observatio Aristotelis est l.1.c.12.) eò perducendo, ut responsiones inter se hostiliter committat. Fucum verò asperget suo ratiocinio, cumprimis, si syllogismum struxerit in figurâ tertiâ, hoc modo:

Tu

Tu non deambulas.

Tu deambulas E. quidam qui deambulat non deambulat.

§. 4. II. *Sophistæ meta* ad quam collineat est ψεῦδος *falsum*, non quod ipse colligat, ut quidem Fonseca l. cit. explicat, nam videri vult ipse veracissimus esse omnium, sed ut falsitatis stigma inurat suo Antagonistæ: falsum quidem sophistam concludere in propatulo est, sed non ita apertè falsum, ut id quivis dè stivâ Corydon subolfaciat, verum tegit, ornat, ungit sordissimum mendacium quibuscunque potest offuciis. Hujus finis compos fit tùm potissimùm, quando ex veris vel principiis vel thesibus respondentis, quorum alterutrum negare nefas sit, ἀσυλλογίστως falsam conclusionem elicit, e.g. Neget in suâ thesi respondens, peccatorem quà talem esse à Deo: ἀσυλλογίστως ita procedet sophista

Omnis pater est à Deo.

Diabolus quà mendax est pater. E.

Diabolus quà mendax est à Deo.

Conclusio ab ipso deprædicabitur vera, quod ex veris præmissis impossibile sit elici falsam conclusionem l. 1. prior. c. 2. utraque verò præmissa fundata sit in sacro codice, major quidem Ephes. 3, 15. minor Joh. 8. 40. Cum autem contradictio dividat verum à falso, & verò conclusio sophistæ vero consentanea sit, reliquum erit à vero abludere thesin quam posuit alter.

§. 5. III. Scopus est παράδοξον absurdum. Mul-

tum

tum hic scopus à priori differt, *neq; enim omne absurdum falsum est, nec omne falsum absurdum*. Nam paradoxum soli Dialecticæ argumentationi opponitur; falsum etiam Apodicticæ. Παράδοξον est, quod est præter opinionem vulgi vel sapientum plerorumque, unde & absurdum dicitur, quasi quod in auribus male sonet, qui ei omne vulgus reclamet. Uti verò sæpè artificiosissima est ea vocum symphonia, quæ horridiusculè aures ferit, ita quod dixi 1. *sæpe absurdum verum est*: exemplum esto famosa controversia de animæ humanæ origine. Veritatem assertionis de ejus creatione immediatâ accersit Bellarminus à communi hominum etiam Agricolarum consensu, ut inde absurditatis reos efficiat, qui contrarium defensitant. Quod si verò absurdũ hoc esse confitear, an ideò quoque erit falsum? non magis, quàm falsum est solem magnitudine excedere terram, quod communis non eruditorum turba pro incredibili habet, & subinde ἄτοπον suum opponit, eâ de re nihil constare posse nisi ei, qui ad solis sphæram sublimis abiverit: in mathematicâ verò tantum abest ut falsum hoc sit, ut potius invictis demonstrationibus illîc doceatur. Unde in *rebus construendis* negat *Aristoteles* l.2. top.c.2. *audiendum esse vulgus*. Vicissim negavimus, *Omne falsum absurdum*, e.g. probatio lamiarum per aquam veteribus germanis, quibus tralatitium id fuerat, non visa fuit absurda, quia seculorum vetustate in legem atque consuetudinem abivit; si quis tamen

vel

vel olim vel hodiè ejus examinis patrocinium suscipere conaretur, vel eam justam pronunciare præsumeret, ille rei falsæ patronum acturus esset. Ad paradoxum ut compellas disputantem; suadet *Aristoteles* l. 1. top. c. 12. *spectandum esse ex quo genere sit qui disputat*, id est, ut lucem affundit *Piccart.* in synops. p. 433. observandum, *cui secta adversarius sit addictus, e. g. in Theologia sitne Papista num Calvinista? In jure sitne Cujacianus num Duarenianus? in Medicinâ Galenianus an Paracelsista?* tùm laborandum ut illud ex Antagonistæ thesi elicias; quòd aliàs in propriâ ejus scholâ pro absurdo explodi-tur. Sed parciùs de his agendum; quia confutandus potius est sophista quàm informandus. IV: *Finis solœcismus; & Barbarismus*; qui quid differant, Rhetores adeundi sunt. V: Ἀδολεσχία *nugatio*, de quibus nihil attinet seorsim dicere, nisi quod vel supra de oratione disputatoris monuimus, vel infra de petitione principii sumus dicturi.

ARTICULUS III.

De sophismatum Divisione.

§. 6. Divisiones sophismatum apud Auctores multæ reperiuntur. Recensentur à veteribus I. *Vtides* apud Laert. l. 7. de vit. philos. quasi nihil importantes aut merentes; quod nomen videtur ortum esse ab Ulysse, qui l. 9. Odyss. se Utin polyphemo nominavit, quo & vitam sibi incolumem servavit, & illusit Giganti: ita ominante Bisciola

tom. 7.

tom.7.subsec.lect.c.8.l.5. 2.*Ceratini seu Cornuti* syllogismi, secundum quosdam ab obiecto; quia crebro cornuum mentionem ingerunt; sicut ille; Quicquid non amisisti id habes: Cornua non amisisti, &c. Sed cur non finxerunt etiā sophisma aliquod Leporinum? quia in illo, Quisquis leporem venatur, &c. Leporis fit mentio. Et cur non commenti sunt sophisma (liceat ita loqui) cuculinum? quia in illo, cuculus coccyzat, &c. Cuculus bis auditur. Fortassis cornuti rectius dicuntur ab effectu; quod more dilemmatico utrinque ferire videantur. His accensentur sorites; Encecalymmeni, Dialanthana, Balacra; Therizonta, Oytica; electra, crocodilitæ sive sertæ, *ἀντιστρέφοντα*; &c. quæ multiplicatio nominum, cum sit 1.*frustranea*; & in id solum inventa, ut prodigiosis terminis à mysteriis hisce arceantur Tyrones (Frustranea autem esse constat; quia pleraque à materiā vel fine, vel adiuncto nomina sunt sortita; quo pacto tot nomina comminisci posses, quot sunt sophismata, id verò esset lateres lavare.) 2. *Ad nostrum institutum non pertineat*; quo ad quævis sophismata particularia descendere prohibemur; ideò ulteriori explicatione supersedemus; remittentes lectorem ad l. 2. de syll. bono & malo Stengelii. Ex Aristotele dispesci possunt omnia sophismata in paralogismos & syllogismos sophisticos, quorum priores extra syllogismum insidias struunt; qui olim tantò erant frequentiores; quantò minus ante Aristotelem de

syllogismo scitum est. Syllogismus autem sophisticus in genere acceptus dividitur in sophisticũ in specie & ἐριστικὸν sive rixosum: sed plerumq; in idem sophisma coincidunt, quod sophisticum κατ' ἐξοχὴν appellatur, quatenus ad ostentandam sapientiam, non aucupandam veritatem, adhibetur: litigiosum verò quatenus φιλονεικίαν spectat, & de asini umbrâ disceptat. Aliter igitur dividitur in vitiosum quoad formam, & vitiosum quoad materiam & utroque modo peccantem. Qui materiæ vitio laborat subdividitur in pseudographum & sophisticum specialissimè acceptum.

ARTICULUS IV.

De præexercitamentis sophisticis, brevi quorundam celebriorum canonum Topicorum limitatione, & ratione ordinis.

§. 7. Etsi falsitas in materia ad suæ patriæ forum, ubi nata est, semper remittenda sit, sicut infra declarabitur, ne quis illâ Catonis querimoniâ uti possit, qui accusatus aliquando, miserum est, ajebat, apud alios causam dicere, cum apud alios vixeris. Nihilominus quantum disputationibus Topicis, quæ illuc nondũ ascenderunt, ut de veritate aut falsitate ex propria scientia judicium ferre possint, obesse potest, Logicam quodamodò cavere par est. Pro Tyronibus enim scripti sunt elenchi sophistici; neque enim accuratè, & sufficienter

cienter respondet; qui per indicationem alicujus loci sophistici ad sophisma respondet, sed generalis illa solùm respondendi ratio est. Propriè autem & sufficienter respondetur vel negando consequentiam, si forma sit vitiosa, vel propositionem aliquã. si in materia subsit falsitas; ita ut negatio fiat per instantiam; distinctionem excipiat limitatio. Tironibus autem quędam progymnasmata scripta sunt ab Aristotele, saltem ne in dialecticis disputationibus nihil responderent. Neque tamen hoc quicquam causam Ramæorum juvat; Agunt illi prius de inventione & locis, quã de judicio ac forma syllogismi; ita tamen, ut putent, inventionem locorum esse partem logicæ, & fundamentum cùm axiomaticę cùm syllogisticæ structuræ, quòd quàm sit absurdum, quamque præposterum, jam ante me eruditissimè docuit Cornel. Martin. comm. advers. Ram. l. 2. c. 1. Nos, Aristotelis vetustissimos interpretes secuti, statuimus, prius agendum esse de locis, non, quod sint partes logicę, aut principia ac fundamenta syllogismi formalis, cùm omninò prius sciendum sit, quid sit terminus in Universum, quàm ut terminum medium è locis inquisitum eas: sed quod sint quædam præ requisita, præexercitamenta logica, qualis athletica est respectu militatis, quibus syllogismo formali nihil aut feratur aut metatur: sed, quod sæpe dictum, ut existat ludicrum aliquod progymnasium, quô se prius exerceant rudiores, ita ut doctrinæ analyticæ, quæ solam

 veram

veram logicam abſolvit, præſcribi debeat; quod in ſimili cauſa Plato ſuæ Academiæ inſcripſit; οὐδεὶς ἀδιαλεκτικὸς εἰσίτω, id quod ſemel lectorem monitum velim. Omnis autem eiuſmodi trivialis reſpondendi ratio fit vel 1. *per reductionem ad fontes Topicos*, e.g. dicendo, malè negari hanc conſequentiam: Ante diluvium fuerunt nubes roride, & ſol iis illabens. E. fuit Iris; cum poſitis cauſis ſufficientibus ponatur effectus. Item malè inferri, hominem neceſſariò edere; ſi præſtò ſit fames; cibus jucundus palato, atque jam coctus, quod poſitis cauſis ſufficiētibus ponatur effectus; cum id verum ſit ſolum de cauſis naturalibus; de voluntariis non item. Quapropter non abs re fuerit in promtu habere maximarum Topicarum limitationes; Quem laborem cum ante me jam alii ſuſceperint; præcipuè *acutiſſimus Philoſophus Dn. M. Stahlius, Fautor & Amicus honoratiſſ.* ideò nolo cramben bis coctam reponere. Ne tamen prorſus nihil dicam, jam ſtatim præcipuos Canones ſeligere placuit, eosq; ſuis limitibus circumſcribere. 2. *Reductione ad locos ſophiſticos, quos Ariſtotelem ſecuti adiungemus ſingulos*; non quod ſophiſmata illa ex iſtis locis unicè judicari poſſint; aut debeant, ſed quia nihil nimium doceri poteſt. Man kan deß guten Dings nicht zuviel thun. Nam ad ſophiſmata illic receſita omnia accuratius reſponderi poteſt, examinando vel argumentandi formam, vel materiam ψευδερμηνείας aut ψευδογραφίας accuſando, de quibus accuratioribus reſpondendi mo-

di modis infra post vitia formalia acturi sumus. Interim quod dicimus liquidum erit facturo periculum & transituro per omnia exempla, quibus locos sophisticos explicabimus.

§. 8. Ordinem quod attinet, Non seorsim sophistam instructuri sumus, sed conjungemus semper fundamenta, cautelas, & modos responsionum. Telephum scilicet imitantes, qui quæ vulnera inflixerat ea illicò rursus sanavit. Non enim Sophisticam docemus, sed fraudibus Sophistæ expositis, singulis singulas respondendi vias aperimus. *Abite igitur Ophiogenes, abite Psylli, nati venena tantum exugere librorum; verba sunt Lipsii in præfat. polit.*

§. 9. Sequitur succincta quædam celebriorum maximarum Topicarum explicatio: I. à genere (seu conceptu quovis magis communi, quo pacto etiam species genus dici potest respectu individui, sicut & totum in quantitate, ubique, nunquam, &c.) ad speciem valet consequentia, 1. simpliciter, si genus nota aliquâ Universali sit distributum, 2. secundum quid, scilicet disjunctivè solùm, si sine distributionis notâ proponatur. Ergò rectè sequitur

Omnis homo est mortalis, igitur & Petrus & Paulus, &c.

Item homo est medicus. E. vel Petrus vel Paulus &c.

Sophisticè verò.

Homo est medicus. E. Petrus est medicus.

II. A specie ad genus valet consequentia 1. ne-

 gativè,

gativè, 2. affirmativè, sed secundum quid, si genus non sit distributum. Ergò rectè sequitur, in Angliâ non fulminat E. non ubiq; fulminat. Item homo est rationalis E. animal est rationale. Sophisticè verò: Jena est ferax vini E. tota Thuringia est ejusdem ferax. Item omnis homo est rationalis: E. omne animal est rationale. III. Cui competit notatio eidem & notatum, scilicet 1. si illa fiat divinitus, 2. potius nominis communis seu appellativi quàm proprii, 3. si sit notatio logica non figurata & rhetorica. Ideò sequitur 1. Jesus vocabitur E. populum suum servabit. Consul vocatur E. consilia præbet, &c. Sophisticè: Timotheus appellatur E honorat Deum. Homo vocatur vitrum E est transparens. militiæ conflictus vocatur bellum E. est bellus, dicitur enim bellum secundum quosdam per figuram ἀντιφράσεως. IV. Cui unum conjugatorum competit eidem & alterum; sive, quod ex illo fluit, ab abstracto licet argumentari ad concretum, & viceversâ 1. si sint conjugata, quod ut cognoscas non verborum solùm consanguinitatem, sed sensus potius spectare oportet. 2. ab abstracto ad concretum valet consequentia in attributis comunicabilibus. 3. à concretis duobus, quæ constituunt prædicationem essentialem, non accidentalem, ad duo abstracta valet consequentia. Ergò sophismata sunt quæ sequuntur 1. dormienti inest visus E. videt. turpitudo est forma E. turpis est formosus. nam visus sumitur in antecedente, vel pro visivâ potentiâ

tentiâ, vel pro visione actuali, si illud, verum quidem est antecedens, sed nil sequitur: quia videre (actu) non est visivæ potentiæ, sed visionis actualis conjugatum. Si hoc; antecedens est falsum. Item, formosus est quidem concretum formæ, si illa sumatur physicè pro pulchritudine, non si accipiatur metaphysicè pro formâ abstractâ. 2. Humanitas est abstracta ab homine, & in nullâ ponitur categoriâ E. homo est abstractus ab homine, & non habet sedem in prædicamentis. Nam illa: quæ de humanitate dicuntur, sunt incomunicabilia cum sint formalia. 3. Quidam Philosophus est Theologus E. Philosophia est Theologia, nam Philosophus & Theologus per accidens cohærent. Item homo est magnus E. humanitas est magnitudo; cum contra rectius sequatur in prædicationibus univocis, physicus est sciens E. Physica est scientia. V. Qualis causa talis effectus, scilicet quoad ea quæ causa effectui communicavit. Unde ineptiunt hæ sequelæ, Pater est doctor E. & filius. Deus est incorporeus E. etiam mundus. Aurifaber est animatus E. etiam annulus, quia nec Pater filio doctrinam, nec Deus mundo spiritualitatem dedit, nec aurifaber annulum animâ informavit.

§. 11. VI. Canones de comparatis semper debent intelligi, 1. cæteris paribus. 2. de majore vel minore probabilitate, non de majore accremento formæ in quâ fit cõparatio. 3. de propriè dictis comparatis. Hæ tres conditiones facile omnium

sophisticationum vindices sunt. Ergo non sequitur. 1. Cerevisiam esse meliorem vino, quia in Saxonia communior ipsa est, cum bonum quo communius eò meliùs. Nam intelligi debet canon cæteris paribus, si scilicet vinum & cerevisia in omnibus essent paria, nec unum ab altero superaretur, tùm utiq; melior esset vino quia communior. 2. Filium esse magis hominem quàm pater est, quia propter quod unumquodque tale est idipsum magis tale sit. Variæ de hoc canone sunt sententiæ; tot etiam documenta hoc loco junguntur & limitationes, ut inopiam potius argumentorum quam copiam comparere doceant, uti in simili conqueritur Fonseca l. 7. c. 16. 1. Quidam asserunt, valere eum solùm in causis finalibus. Sed id est contra mentem Aristotelis, qui ponens hanc maximam, l. 1. post. anal. cap. 2. t. 15. argumentatur in genere causæ efficientis, hoc modo: Conclusio nota est propter præmissas E. præmissæ sunt notiores, atqui præmissæ sunt causæ conclusionis non finales. 2. Alii requirunt duas conditiones, 1. *ut prædicatum utrique insit*, 2. *ne suscipiat magis & minus*. Contra neutra est seorsim nec utraque simul sufficiens, quia ex hoc canone concludi potest sophisticè, licet prædicatum utriq; insit & suscipiat magis & minus, e.g. Discipulus est doctus propter præceptorem E. Præceptor magis est doctus, quod falsum est, supposito quod uterque æquè sit doctus; igitur accipiunt hunc canonem aliqui de *majore jure*, quod

præ-

præceptor *maiore jure* sit doctus. Sed ne tunc ab omni ictu tutus est. Is enim erit sensus, propter quod unum quodque tale, id ipsum maiori jure tale est. Nego, do instantiam; *hic homo amat uxorem vetulam propter numos: ergone maiore jure numos amat?* III. Alii prorsus desperant, cum potius hic dici possit, in quo canon non procedat, quàm in quo locum habeat. Verùm enim verò adhuc in mundo est limitatio, scilicet, τὸ magis debere accipi non metaphysicè de maiori formæ intensione, sed topicè de maiori probabilitate. Bonæ igitur hæ sunt sequelæ: Discipulus est doctus propter preceptorem, E. magis probabile est præceptorem esse doctum. Homo videt propter oculum, E. magis probabile est oculum videre. Filius est homo propter patrẽ, Ergò magis est probabile, patrem esse hominem. Et ratio limitationis est, quia Dialectica argumentatio est probabilis, Ergo omne etiam istius principium cum limitatione illâ intelligi debet, unde & hoc argumentum, *Petrus non timuit facere sacrilegium. E. nec timebit facere furtum, est* (non à maiori ad minus, ut Ramistæ volunt, sed) à minori ad maius, cum minus probabile sit aliquem facere sacrilegium, quàm ut furtum perpetret. At instas, non posse omnia sophismata hac limitatione solvi, siquidem ea rejiciatur in his, 1. Homo non diligit mundum propter Deum, E. multò magis non diligit Deum. 2. Paries est albus propter pictorem, E. Pictor magis est albus, quod falsum, supposito

quod pictor ſit Æthyops. Reſp. Ad 1. lædi generalem ratione ex comparatis argumentandi, quia, ut mox dicetur, canones loquuntur de comparatione propriè dicta, qualis non eſt illa, in quâ prædicatum utriq; non ineſt: nam non diligere ſumitur aut negativè prorſus, ſic neutri ineſt: vel privativè pro odiſſe, ita Deo non ineſt: quia fieri poteſt, ut Martyr odio proſequatur mundum, nec tamen oderit Deum. 2. Negando parietem eſſe album *propter* pictorem, propter enim eſt character cauſæ: at verò pictor non eſt *cauſa albedinis*, hæc enim fluit ex penicillo, *ſed dealbationis*, ſive pictor non producit demùm albedinem, ſed albedinem productam unit parieti. III. Aërem eſſe elementum leve, quia levius ſit igne, comparativus autem præſupponat poſitivum. Nam comparatio eſt impropria, cum levitas non utriq; inſit. Ita & enodatur hæc plicatura, Imperator habet majeſtatem propter proceres, E. proceres magis eam habent. Nam poſtquam majeſtatem contulerunt in ſummum caput, non eam habent. VII. Contrariorum eſt eadem ratio, & eorundem eſt contraria ratio. Nota in his canonibus non eſſe contradictionem, prior enim ſumit vocem rationis pro qualicunq; cognitione, ex enim eo probare poſſumus, in medicinâ agendum eſſe de ſanitate & morbo. Alter vocem rationis accipit pro conſequentiâ: & unâ iſtâ limitatione obſervatâ facile ubique procedit, ſi ſcilicet prædicata ſint convertibilia, unde nugis annumeramus hæc:

Homo

Homo est animal, E. Bestia est animal.

Consensus facit nuptias, E Dissensus solvit nuptias. Quod si enim omne nuptias faciens esset consensus, sive si consensus solus nuptias faceret, nihil fortasse abnuerem.

§. 12. VIII. *De quocunque unum oppositorum* affirmatur, de eodem negatur alterum. Valet hîc canon 1. In oppositis immediatè. 2. de quocunq; scilicet uno manente: &c. adeoq; requiritur subjecti identitas. 3. *Non valet vice versâ, De quo unum oppositorum negatur de eodem affirmatur alterum.* Ecce enim tibi sophismata:

1. *Augustinus est Philosophus, E. non est Theologus. Tres constituunt collegium, Ergò tres idem solvunt, neutrobique est oppositio immediata.*
2. *Homo est animal, E. Asinus non est animal, mutatur subjectum.*
3. *Lapis non est videns, E. cæcus.*

IX. A majori ad minus argumentamur tantùm negativè à majori, id est à majori probabilitate, Bene igitur concludunt hæ consequentiæ: *Hic non potest scribere carmen elegiacum, Ergò minus scribet epigramma vel epicum.* Hic *non habet ingenium aptum discendæ Musicæ, Ergò multò minus poesin addiscet.* Sophistica autem hæc est sequela : *Hic potest portare onus viginti pondium, Ergo etiam portabit onus centipondium.* Ideò etiam, verum si fateri volumus, Aristoteles lib. 2. Rhet. c. 19. malè concludit, cujus principium & pars fieri potest, id totum quoq; ab eadem potentia potest perfici. Concludit enim à majo-

maiori ad minus affirmativè, adeoque vitiosè; Multa possunt inchoari, perfici non item, ut in Christianismo nostra nova obedientia: In ethicis beatitudo civilis: in oratoriis orator, qui sit mortalis quidam Deus, ut eum Fabius describit. *Contra*, à minori ad maius argumentamur solùm affirmativè. Ut hic homo amat suum fratrem, Ergò multò magis amat liberos. Hic homo fideliter custodit depositum mille thalerorum. Ergò fidelius custodiet depositum centum thalerorum. sophisticè verò sequitur: hic Dux non potuit subiugare regnum, Ergò etiam non poterit debellare urbem.

X. Ab Auctoritate negatâ nihil concluditur. Nota aliud esse argumentum ab auctoritate negatâ, aliud ab auctoritate negativâ, illud negat ipsum verbum testandi, ut: Aristoteles nuspiam docet locum esse spacium, E. Locus non est spacium. Hoc importat solùm sententiæ negationẽ, de quâ testis testatur, e.g. Scriptura S. docet non operibus nos justificari. E. Ita se res habet. Nihilominus licet argumentari etiam ab auctoritate negatâ, supposito, quod auctor perfectè rem tradiderit. Nam si perfectè omnia persecutus est, nihil quod necessarium scitu est desiderabitur. Unde admitti solent hæc argumenta: Aristoteles lib. 6. Ethicorum, non recenset aliquem sextum habitum instrumentalem à reliquis distinctum, E. talis non datur. Item Constantinianææ donationis nuspiam ab historicis iis, qui vitam Con-

stantini

ſtantini perfectè ſcripſerunt, & minutiora non omiſerunt, fit mentio, E. palea eſt. Unde etiam; quia Scriptura S. perfectè tradidit, quæ ad ſalutem noſtram ſunt ſcitu neceſſaria, ideò rectè ſequitur, purgatorium eſt dogma ἄγραφον, E. non eſt credendum, &c. Sufficiant hæc; reliqua petantur ex libellis logicis; cumprimis verò è metaphyſica, quam qui callet, non ei multùm eiusmodi maximæ negocii faceſſent.

ARTICULUS V.

Fallaciæ æquivocationis & amphiboliæ declarantur.

§. 13. Migramus ad eos fallaciarum ordines, quibus Ariſtotetes librum 1. Sophiſticorum elenchorum complevit. Diviſio fallaciarum earum, quæ ſunt in dictione, & quæ extra dictionem, notior eſt, quàm ut multa de illa repeti debeant. Illud ſilentio involvendum non eſt, obiectum logicæ non ſolùm res eſſe, ſed & voces & orationes. Si enim in harum fallaciis detegendis ipſa occupata eſt; cur non & in iisdem veritatis formâ informandis laboraret? I. Fallacia in voce eſt; inquam, non in re, ideò *Scotus* in lib. 1. poſt. c. 9. docet, quatuor terminos ex æquivocatione natos, apud geometram fieri non poſſe, quia ille habet ante oculos lineationem circuli, vel alius figuræ, quæ æquivocæ eſſe nequieunt. *Obijcis*, dari & illîc æquivocationem, e. g. Circulus eſt figura, carmen

(apud

(apud Homer. quod eodem pede incipit & desinit) est circulus, E. carmen est figura: *Resp.* hic syllogismus non pertinet ad geometram, sed ad dialecticum. Prima igitur fallacia est *Æquivocatio*, græcè ὁμωνυμία: quæ frequentissima, sed & simul συνηθέστατος, & l. 2. Soph. cap. 7. ineptissima. Definitur autem fallacia orta ex voce æquivoca, æquivocè sumpta. Omnis quidem vox est æquivoca, sed non semper æquivocè accipitur in syllogismo; ut observat Phil. Dutrieu tr. 4. p. c. 1. art. 2. Et quia in omni fallacia eodem observante, duo sunt. 1. *Causa apparentiæ*, cujus gratia valida videtur argumentatio. 2. *Causa defectus, ratione* cujus invalida est argutia. Ideò hîc causa apparentiæ est *vocis identitas*, causa defectus est *vocis unius* varia *significatio*, orta inde, quia plures sunt quàm verba, unde factum, ut una voce cogamur multa significare. Multa autem vox significat bifariam. 1. *Formaliter*, ut est vox ambigua. 2. *Materialiter*, ut significat totum aliquod aut genus, quo pacto vox animal multa significat: accipitur hîc vocis multiplex significatio in sensu priori, secundum quem Philosophus scribit, l. 4. Metaph. cap. 4 τὸ μὴ ἕν τι σημαίνειν, οὐδὲν σημαίνειν ἐστί. *Modi*, quibus hæc fallacia committitur, sunt 1. quando adhibetur æquivocum casu, 2. quando vox est æquivoca consilio sive analoga. 3. quando quovis modo una vox plures potest significationes sustinere.

Exempla sunt hæc:

1. *Investigabile potest nobis innotescere.*
Consilia Dei arcana sunt nobis investigabilia. Rom. 11. v. ult.
E. *Consilia Dei arcana possunt nobis innotescere.*

2. *Omnis λόγος est vox evanescens.*
Filius Dei est λόγος, Ergò.
Filius Dei est vox evanescens.

3. *Quicunque est oculatus ille est corporeus.*
Deus est oculatus, E.
Deus est corporeus.

4. *Omnis medicus sanat.*
Hic liber (ostendendo Galeni opus) est medicus, E.
Hic liber sanat.

§. 15. II. Fallacia amphiboliæ dicitur ab ἀμφιβάλλειν, quia in ea sensus alicujus propositionis tmajicitur, ejusmodi propositiones etiam à Philosopho l. 3. Rhet. c. 5. dicuntur ἐπαμφοτερίζοντα. differt à priori, quod illa ludat in uno solùm termino; hæc in integra phrasi & oratione, describitur quod sit fallacia orta ex orationis ambiguitate. Causa apparentiæ est, quod una sententia tantum unum possit habere sensum. Causa defectus, quod una oratio possit plura significare, sed tùm non una, verùm multiplex ipsa est. Committitur 1. quando unica phrasis sensus duplicitate imponit, phrasis dico, quæ est Oratio sive terminus complexus, ut distinguatur ab ὁμωνυμία, e.g quidam Persa simulans Christianismum, *soli Deo*, dicebat, gloria, sed intellexit non solum Deum sed solem

solem Deum. Ita per mœnia è ligno, vel muros ligneos, vel naves & classes durateas ambiguè intellexit Oraculum; Atheniensibus editum in his versibus:

Iuppiter è ligno dat mœnia facta Minervæ,
Quæ tibi sola tuisque dabunt invicta salutem.

Eâdem fallaciâ lusit Cacodæmon, referente Wolfio, tom. 2. ret. memor. cent. 15. quem cum quidam rei metallicæ studiosi consultum peterent, quomodo essent aurum confecturi; ille respondit *Travaillez laboraie*, quod si intellexissent de labore; qui insumitur in arte honesta; & multorum divitiis nobilitatâ, utique aurum sibi parassent; sed quia de sufflationibus alchymicis interpretati sunt oraculum; ideò miserè delusi pro auro cineres deportârunt: sic in hoc Plauti versu in Stich. act. 1. sc. 1.

Hostis est uxor quæ ad virum nuptum datur.

Phrasis nuptum dari ambigua est, vel enim nuptum est supinum, & ita sensum facit à Plauto intentũ; vel adiectivè accipitur & significat Virum nuptum esse Uxori; quod in linguâ latinâ foret insolens. Eodem modo servus Plautinus in Asin; act. 2. sc. 4. in fine *suum peculium numerari non posse* ait. Sensus ambiguus: vel quia peculium nullum habet; quod numeratu impossibile: vel quia peculii nimium habet, quod numeratu difficile: cõfer Taubm. ad ill. locum. In Captiv. act. 5. sc. 2. dicit Hegio Stalagmo servo: *In ruborem te totum dabo*, id est vel pudorẽ extorquendo, vel sanguinem: illud

ñnẽ

ſine loris hoc cum loris. Phraſoos hæc ambiguitas ex multis cauſis oriri poteſt, 1. cum plures ſenſus habet uſitatos & receptos, ut quicunque ſunt ex Deo, verbum Dei audiunt. Omnes creaturæ ſunt ex Deo, E. omnes verbum Dei audiunt. Phraſis, ex Deo eſſe, duplicem habet ſenſum, nam ex Deo aliquid eſſe dicitur, vel per creationem, vel per gratioſam regenerationem. Item, Quicquid eſt Ariſtotelis, poſſidetur ab eo,

Hic liber tuus eſt Ariſtotelis. E.
Hic liber tuus ab eo poſſidetur.

Eſt aliquid Ariſtotelis, vel ut auctoris, vel ut poſſeſſoris. 2. Cum plures ſenſus habet ex grammaticorum accidentium permutatione. Ut in genitivo hæc major vera eſt, in nominativo falſa:

Quicunque moriuntur ſunt domini, Rom. 14. 8.
Servi moriuntur, E. ſervi ſunt domini.

3. Quando phraſis figurata accipitur in ſenſu non logico, ut fieri debebat, ſed in ſenſu rhetorico, ut iverunt ligna, & unxerunt ſuper ſe regem, Jud. 9. 8. &c. E. ligna etiam habent rempub. Item

Quiſquis arat littus, terram proſcindit aratro,
Aſt operam perdens littus perhibetur arare.
Ergò operam perdens terram proſcindit aratro.

4. Oritur phraſeos ambiguus ſenſus ex ignorato linguæ alicujus idiotiſmo. Unde ipsâ ineptiâ ineptior hæc eſt argutia:

Quicunque hominem indurat, ille eſt cauſa peccati.
Deus hominem indurat. E.
Deus eſt cauſa peccati.

cum phrasis indurare non significet duritiei ingenerationem, sed singularis idiotismus est, sicut Pater filium sæpe castigando in malitia dicitur roborasse, q.d. Ich werde ihn nur verhärten oder halßstarrig machen/ vide sis Dn. D. Frantz. de interp. script. orac. 24.

§. 15. Alter modus est in Oratione integrâ, quæ in varios sensus flexibilis est 1. ex constructionis incertitudine. Quis enim si vel Egeriam consultum petat, sciat, quid hâc oratione sibi voluerit Oraculum:

Ajo te Æacida Romanos vincere posse.

An Romani Æacida, num hic illos sit victurus, incertum est. Quæritur, an in loco, Act. 3. 21. cerea istiusmodi flexibilitas locum habeat, ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι? Nego; Nam finis scripturæ est σοφίσαι non sophisticari, & miseris præstigiis lusui habere. Magna igitur perversio est, οὐρανὸν in locum subiecti mutare. Cui enim id fit bono? an, ut Majestas Christi elevetur, & cœli superficie eius corpus coërceatur? miserum dogma, quod se tutari non potest, nisi datâ operâ ambiguitate in scripturam illatâ, quæ sibi relicta clarissimè & liquidissimè flueret, imò nisi Scripturâ S. in sophisticen mutata? 2. quando Oratio figurata accipitur in sensu non logico, uti fieri debebat, sed figurato, e. g. Deus dixit Adamo, Adam factus est quasi unus ex nobis, E. vel misero insultavit, vel verum non dixit. Toties hîc peccatur, quoties ex sensu parabolico argumenta probantia petuntur. 3. In pro-

propoſitione modali frequens eſt duplex ſenſus: e.g. quoddam animal eſſe hominem eſt neceſſarium, vel ita intelligi poteſt; quoddam quod eſt animal eſſe hominem, eſt neceſſarium, quod verum eſſe liquet: vel ita, eſſe aliquod animal, quod ſit homo, eſt neceſſarium, at id à vero abludit. Idem etiam evenit in his propoſitionibus; quandam ſubſtantiam eſſe leonem contingit: Nullum animal eſſe equum eſt impoſſibile: Nullum lapidem eſſe adamantem eſt poſſibile, videatur de his Nihuſius part. 1. c. 1. ſophiſma eſto tale

Omnis lapis non eſt adamas,
Adamas eſt lapis, E.
Adamas non eſt adamas.

Major ſi poſſibilis ſit, uti aſſerebas in eadem cum modo propoſita; concluſio, per te, quoque erit poſſibilis. Nec te moveat pro ſigno nullus ſubſtitui τὸ omnis non, nam hæc ſunt æquipollentia. Reſponſio tamen eſt facilis, quia propoſitio illa (nullum lapidem eſſe adamantem eſt poſſibile) bifariam intelligi poteſt, vel quod poſſibile ſit nullum lapidem inter eos qui exiſtunt eſſe adamantem, quod utique verum, ſi adamantem Deus non creaſſet, vel quod poſſibile ſit, nullum lapidem ſive exiſtat ſive poſſibilis ſit eſſe adamantem, hîc ſenſus abit à verò, è quo quia concludit maior, nemini mirum videri debet, ſi falſa ſit.

ARTICULUS VI.

Fallaciam compositionis & divisionis enucleat.

§. 16. Initiò præcognoſcendum eſt; quid dicatur ſenſus compoſitus & diviſus, nam non idem eſt propoſitio compoſita, & ſenſus propoſitionis compoſitus. Igitur ſenſus compoſitus eſt juxta *Fonſecam*, l. 8. c. 6. *cum copula dicti nectit formalia ſignificata extremorum: diviſus, cum nectit formale ſignificatum prædicati cum materiali ſignificato ſubjecti.* Atq; ut enucleatius hæc efferantur, nota, omnem terminum connotativum, e g. Pater, Doctus &c. duo habere ſignificata, ex quibus ceu compoſitum concreſcit, ut Pater conſtat ex duobus, 1. ex homine, qui Pater eſt, 2. ex paternitate, illud vocatur ſignificatum materiale, hoc formale; quando ergo formale ſignificatum prædicati cum formali ſignificato ſubjecti conectitur, dicitur propoſitio in ſenſu compoſito, qualis hæc eſt, impoſſibile eſt Patrem eſſe Filium, id eſt, non poteſt fieri, ut Pater, quatenus Pater eſt, ſit filius. Quando verò formale ſignificatum prædicati cum ſubjecti materiali ſignificato cohæret, tùm ſenſus eſt diviſus, terminus enim talis compoſitus dividitur, & ſecundum alteram ſui partem intelligitur; e.g. poſſibile eſt, ſedentem ambulare, id eſt, poteſt fieri ut ſedens (non quatenus, & quando ſedet, ſed) hominem qui nunc ſedet ambulare. Illud etiam ſecundo loco advertendum eſt, multas propoſitio-

positiones veras esse in sensu diviso, quæ in composito fallunt, & vice versâ. e. g. In sensu diviso veræ hæ sunt sequentes, in composito non item, sedens ambulare potest, actio est passio, Deus justificat impium, Rom. 4. 15. & in divinis, Filius est Pater, scilicet in sensu, ut vocant, materiali, & identico: Justitia Dei est misericordia Dei. Contra in sensu diviso multa falsa sunt, quæ in composito verum dicunt, e. g. impossibile est album esse nigrum. Item necesse est prædestinatum salvari, in sensu composito verum est, supposito scilicet, quod sit prædestinatus, necesse est eum salvari, ita exigente immutabili harmonia decreti, & ejusdem executionis. Multum autẽ à veritatis chorda aberrat, qui in sensu diviso accipit, quasi necesse sit hominem salvari, hæc enim assertio in suam tutelam susciperet monstrosam illam de absoluto decreto opinionem. Deinde & illud non habendum est insuper, hujusmodi strophas ad fallaciam ambiguitatis pertinere, si judicium de veritate & falsitate spectes, ad fallacem compositionem & divisionem, si originem fallendi consideres. Nunc in rem præsentem veniendum. Igitur uti justa & legitima Orationis cõpositio ac divisio justum etiam habet situm & contextum. 2. sensum definitum & certum; Ita fallax compositio & divisio in duobus peccat, 1. situm grammaticum invertendo, 2. sensum insidiosum ex cogitando. Causa *apparentiæ est, quod à conjunctis ad divisa, & vicissim, valeat consequentia.*

§. 17. *Primus igitur modus est generalis in fallaci compositione* & divisione, cum situs grammaticus pervertitur, idque vel vocis alicuius ineptâ traiectione, quod fit in his exemplis:

Qui habet præclaram statuam auream, hastam tenentem, ille est ditissimus.

Atqui Iohannes modicè dives habet præclaram statuam auream hastam tenentem. E.

Iohannes modicè dives est ditissimus.

Huc pertinet & illud apud Quintil. lib.7.c.9. sophisma, quando contendunt Λέων & παντάλέων, bona omnia Λέοντι, an bona παντάλέοντι fuerint relicta?

1. *Qui tenet literas nunc, didicit eas.*

Senex philosophus tenet literas. E.

Nunc didicit eas.

3. *Quicquid Deus facit invitè, id facit coactè.*

Vvas Deus facit in vite. E.

4. *Fides sine operibus, iustificat.*

Fides sine operibus, est res mortua. E.

Res mortua justificat.

5. *Quod Deus voluit, ab æterno esse, id fuit ante sex mille annos.*

Deus voluit ab æterno, mundum esse. E.

6. *Qui nullum ens à prædicato hominis excipit, ille asserit omnia esse hominem.*

Qui asserit nihil non esse hominem ille nihil à prædicato hominis excipit. E.

7. *Nihil non esse creatum, verum est.*

Nihil non, esse creatum, falsum est. E.

Quoddam quod falsum est, verum est.

Fallacia ubi lateat in hiſce vel ſola commatum diſtinctio oſtendit, quamvis hæc argumenta omnia etiam in formâ peccent. II. *In verborum rem pertinentium detruncatione*, qui modus fallendi vulgò diabolicus nominatur, quia eo uſus eſt pheudotheus in ſúo cum Chriſto duello, Matth. 4.6. Talis fallaciæ reos ſe faciunt, quicunque verba legis citant non inſpectâ lege totâ, allegant pro ſe textum aliquem biblicum, ſed contextum & loca parallela ſe ipſa explicantia non inſpiciunt, e.g.

Nullius juſti ſemen deſtituetur pane, Pſ.37.
Lazarus juſtus fuit. E.
Lazarus non fuit deſtitutus pane.

inſpice contextum, & attende de quo juſto loquatur, & cum quibus exceptionibus alibi majorem accipiendam inſinuet Scriptura S. Peccatur denique hîc, quoties Viris doctis mutilatè eorum ſcripta citando fit injuria, quo infortunio libri B. Lutheri premuntur, vide ſis cenſuram Colonienſem, & quæ contra illam ſcripſit Dn. D. Gerhardus, Præceptor honoratiſſimus. III. *In malitiosâ verborum deſcriptione, aut deſcriptorum corruptione.* Cuius falſitatis rei eſſent Judæi, ſi à Pontificiis ſatis ſolidè probari poſſet hebræum textum corrupte fluere, ob Judæorum perverſitatem. IV. *In fraudulentâ additione*: tali fallaciâ ludunt, quicũq; traditiones verbo Chriſto affricãt, easq; pari pietatis affectu exoſculandas eſſe contendunt. Alter modus decipiendi in hâc fallaciâ oritur ex inſi-

dioso sensu, juxta quem I. quoties propositio in sensu diviso vera, falsa est in composito, toties fallax est compositio, exempla hæc regulam illustrant:

1. *Possibile est omnem parietem esse album.*
Aliquis paries est niger. E
Possibile est aliquod nigrum esse album.

2. *Possibile est sedentem ambulare.*
Petrus dum sedet est sedens. E.
Petrus dum sedet possibile est eum ambulare,

3. *Possibile est prædestinatum damnari.*
Paulus Apostolus ab æterno electus ad salutem est prædestinatus. E.
Paulus Apostolus ab æterno electus ad salutem potest damnari,

Major utique vera est in sensu diviso, quod scilicet prædestinatum secundum se spectatum damnari, possibile sit.

4. *Omnis vivens moritur.*
Ezechias Rex in lecto jacens, quindecim adhuc annos victurus, est vivens.
Ezechias in lecto jacens, &c. moritur,

5. *Impius justificatur,* Rom. 4. 15.
Iudas proditor est impius. E.

6. *Omnis pœna est à* Deo.
Quædam pœna est peccatum. E.
Quoddam peccatum est à Deo.

Minor in sensu composito negatur.

7. *Iustitia* Dei *damnat impios.*
Misericordia Dei *est justitia* Dei. E.

Mise-

Misericordia Dei damnat impios.

Minor si accipiatur in sensu diviso, seu identico ipsâ veritate luculentior est, constat enim attributa in Deo esse ταὐτῶς καὶ ἡνωμένως, juxta Damascen. In sensu composito ipsâ falsitate est deformior, quia misericordia Dei quà talis (ut includit etiam conceptum nostrum, à quo distinguuntur Dei attributa) non est justitia Dei.

II. Cum propositio aliqua sumta in sensu composito, id est copulato, vera, in sensu autem diviso, id est, distributivo aut disjunctivo, falsa est, tùm committitur fallax compositio. Sed nec hîc exempla desunt:

1. *Quæcunque sunt duo & tria, illa sunt duo & sunt tria.*
Quinque sunt duo & tria. E.
Quinque sunt duo, & rursus quinque sunt tria.

Conclusio habet sensum distributivum falsum, qui copulatè verus est in minori.

§. 18. III. Fallacia divisionis est, cum sensu composito existente vero, divisus est falsus, e.g.

1. *Omnis Philosophus est necessariò doctus.*
Quidam homo est Philosophus. E.
Quidam homo est necessariò doctus, atqui nullus homo est necessariò doctus.

Major in sensu composito vera est, in diviso falsa, & sic emendabitur

Omnis Philosophus est necessariò doctus, posito, quod sit Philosophus.
Quidam homo est Philosophus. E.

Quidam homo eſt neceſſariò doctus, poſitó quod ſit philoſophus.

2. *Impoſſibile eſt album eſſe nigrum.*

Hic paries eſt albus. E.

Impoſſibile eſt hunc parietem eſſe nigrum.

Major concedi poteſt in ſenſu compoſito, ſed ad Anticyras mittenda eſt, ſi ſenſus etiam diviſi radio ſplendere velit.

3. *Omne prius eſt ſimul cum poſteriori.*

Nullum prius eſt ſimul cum poſteriori. E.

Quoddam quod non eſt ſimul cum poſteriori, eſt ſimul cum eodem.

Major vera eſt in ſenſu compoſito, at in eodem minor eſt falſa: nam quia prius & poſterius relata ſunt, naturâ ſunt ſimul; Quia verò materiale, e.g. res, quæ prior denominatur, prior eſt poſteriori, ideò major in ſenſu diviſo eſt falſa, minor vera.

5. *Ejuſdem etiam farinæ hic eſt dolus*:

Hic latentem non noſti. Pater tuus hic latet.

E. *Patrem tuum non noſti.*

ARTICULUS VII.

Conjungit fallaciam accentus & figuræ dictionis.

§. 19. *Fallacia accentus* pro causâ apparentiæ habet hanc regulam: Idem vocabulum & eadem oratio, quomodocunq; ſcribatur, aut pronuncietur, eundem parit ſenſum. Conſiſtit autem I. *In fallaci ſcriptione*, e.g. Κάμηλος ſi ſcribatur cum η

notat

notat ζῶον ἀχθοφόρον, si cum ἰπὶ παχὺ χοινίον, testibus Suidâ, lit. κ. Aristophanis Scholiastâ, & confirmantibus locis parallelis, Matth. 3. 4. Mar. 1. 6. unde ex camelorum pilis vestes confartas esse apud orientales liquet, quas Hispani Chamelote, Germani Schamloth appellant, quod si quis Camelum Matth. 19. 24. per funem nauticum interpretetur, fallaciæ accentus se reum facit. II. *In scriptione partim, partim etiam in pronunciatione*, quod tum fit, si accentus grammatici errorem pariunt 1. Orthographici, in his:

1. *Omnis hortus est viridis.*
   Sol est ortus. E.
   Sol est viridis.
2. *Qui parat abitum, gladium accipit, & viaticum.*
   Sartor parat habitum. Ergo.

Prosodiaci, ut:

3. *Omnia mala sunt à Deo.*
   Poma sunt mala.
   Poma sunt à Deo.

III. *In pronunciatione*, quando oratio interrogativa, optativa, Ironica, aut hypothetica, accipitur quasi esset logica, enumerativa & propria, exempla sunt:

2. *Quicunque dicit Christo, tu es filius Dei viventis, is Christum confitetur esse Deum.*
   Pilatus dicit Christo, tu es filius Dei viventis?
   Ergo?
2. *Quicunque optat damnari, ille peior est αὐτοφόνῳ.*
   Paulus, optans anathema esse à Christo, optat damnari. Ergo!

3. Qui-

3. *Quicunq; tibi dicit, rectè respondisti, ille te laudat,*
Sed qui dicit, an rectè respondisti? ille dicit rectè respondisti. E.
Qui dicit, an rectè respondisti? ille te laudat.
4. *Christus ait discipulis,* Matth. 26. 45. *Dormite & quiescite.* E.
ſibi contradicit, qui prius verſ.41. juſſerat eos vigilare. Item Deus dicit, ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis, E. Deus vel falſum dicit, quod fuerit blaſphemum, vel verùm, Ergò Adam non perdidit Dei imaginem.
5. *Si ſtaret Samuel & Moſes coràm me, tamen animus mihi non eſſet, &c.* E.
Samuel & Moſes coràm Deo ſtant, & pro populi ſingulis individuis orant. Sed fraudes hæ nimis ſunt apertæ, ut norint etiam illas detegere, qui nondũ ære lavantur; Nam Orationes non enunciativæ neque verum neq; falſum dicunt, & ſæpe non poſſunt fieri logicę. At nulla argumenta concedenda ſunt, niſi quæ conſtant ex propoſitionibus logicis. *Quæritur, an Lutherani fallaciam accentus committant, emphaticè & cum mora pronunciantes: Panis* EST *corpus Chriſti. Item Deus vult* OMNES *homines ſalvari,* uti quidem nos accuſat Keckerm. in ſuo ſyſtem. p. 554. Reſp. aut fallax hæc exclamatio eſt 1. ideò ſolùm, quia accentum extollit, aut 2. quia falſa eſt oratio, aut 3 quia fallax & ſophiſtica, cùm ad id nata ſit, ut decipiat imperitos; aut denique, quia putatur in vocula EST latere aliquod myſterium. Non 1. quia & Chriſtus clamavit

vit altâ voce.Pater in manus tuas,&c.Et cur non tollunt ωμέγα ex græcis literis? Non 2. quia orationes illæ Dei sunt, quomodo igitur falsæ? Non 3. quia illa elevatio pro fine habet doctrinam & consolationem, *illam*, quia docet discernere panem vulgarem à pane Eucharistico; hanc; quia qui extollit universales promissiones,ille facit ut statim subsumant auditores, adeoq; desperationis rete impedit, quod toties nectunt; quoties fallaci animo ipsi clamant: Indurabo, indurabo. Miserebor cujus miserebor.Non 4.quia qui dicit quod res est,ille verum dicit:qui τὸ EST extollit, dicit quod est res, nimirum, subesse aliquod mysterium, unionem scilicet sacramentalem omni humano captu superiorem.

§. 20. II. Sequitur FIGURA DICTIONIS. Figura alias ab Aristotele accipitur, 1. pro quarta specie qualitatis, 2. ut idem sit quod universaliter, lib. 1, Eth. c, 11. l. 2, c. 7. l. 3. c. 9. 3 figurâ loqui idem ipsi est, quo παχυλῶς & crassâ Minervâ. Hîc Figura dictionis notat similitudinem vocum, quæ sæpe in errorem inducunt, id verò fit:

1. *Secundùm proprietates* grammaticas e.g.

Omnia in O desinentia sunt verba actionem significantia.

Sitio desinit in O. E. sitio actionem significat.

Cum tamen, annotante Fr. Murciâ l. 1. de gen. & cor. disp. 4. cap. 6. multa verba activa non significent actionem propriam,sed grammaticam duntaxat, ut tangere, sustentare, &c. Scribit quidem

Fon-

Fonſeca lib.8.c.9. levia eſſe hujusmodi ſophiſmata, ſed cur tanti apud ipſos Viri hîc impingunt? Locum Gal.5.6.πίστις δὲ ἀγάπης ἐνεργουμένη. Piſtorius ita vertit, der Glaub wird durch die Liebe thätig gemacht. Quæ cauſa hujus perverſæ interpretationis? niſi error ex figurâ dictionis: qui enim ſimiliter deſinentia verba græca paſſivè reddunt, ideò etiam hoc verbum eodem modo vertere voluit. Sed vel à Bellarmino ipſo erudiri debuit, qui contra regulam grammaticam hanc vocem ſumi paſſivè fatetur. Huc pertinet quod Caſaub. annotat in N. T. quendam ex fure in balneum intrante quæſiviſſe, veniretne ἐπ' ἀλειμμάτιον, an ἐπ' ἄλλ' ἱμάτιον? II. *Secundum proprietates dialecticas*, idque 1. *explicitè*, tùm, quando verba diverſorum prędicamentorm putantur eſſe ejusdem categorię, ideò ſolùm, quia æqualiter terminantur, ut coloratum eſt in prædicamento qualitatis, Ergò etiam lineatum: atque ita pueri decipiuntur, quando duos vident ſplendidè indutos, alterum verò ex iis nobilem eſſe ſciunt, ſtatim colligunt alterum quoq; nobilem eſſe oportere. 2. *Implicitè*, cum ſub uno ſigno ſignificante ſubſtantiã ſubſumitur quantitas vel qualitas, &c. Nota ex Fonſeca, in hâc fallaciâ prædicamenta non diſtingui ſecundum rem, ſed ſolùm ſecundùm modum ſignificandi. Omnia enim vocabula abſoluta cenſentur eſſe prędicamenti ſubſtantię, ut ſunt, res, homo, candor, quod, id, quicquid, quodcunque. Omnia verò connotativa cenſentur

tur esse accidentia,ut aureum, crudum,tale,quale,&c. e.g.

Quod emisti id comedisti.
Carnem crudam emisti. E.
Carnem crudam comedisti.

Majorem improvidus facilè concedit, quia credit,τὸ quod,notare substantiam,hoc sensu:Quam substantiam, non habito respectu crudáne illa sit an cocta? emisti,eam comedisti,quod verò majorem concedit, id est ex figurâ dictionis, quia statuit vocabula ejusmodi absoluta notare substantiam. Qui vero pensiculatius syllogismum exenterat, ille negabit majorem, si sophista τὸ Quod velit sumere transcendentaliter,hoc sensu:quod, id est quod,quantum & qualecunque ens emisti, id tantum & tale comedisti,hanc,inquam,majorem non admittet.Ex quo patet,qua ratione prędicamentorum confusio ad fallacias dictionis pertineatr;Oritur nimirum ex simili pronunciatione omnium terminorum absolutorum : similia exempla occurrunt, ut

1. *Quæ quis pronunciat, ea ex ore illius exeunt.*
Sed plaustra lignorum quis pronunciat. E.
Plaustra lignorum ex ore illius exeunt.

In majore τὸ QUÆ putatur notare substantiam, at notat accidentia, verba nimirum:

2. *Quod quis ebibit, id abit in ventrem,*
Poculum argenteum quis ebibit. E.

τὸ quod in majore notat accidens poculi, nimirum vinum, alias major non posset ferri.

3. Pet

3. *Per quod quis ambulat, id calcat pedibus.*
Per totum diem quis ambulat. E:
Totum diem calcat pedibus.

τὸ Quod si sumatur transcendentaliter, per quod quantum & qualecunque quis ambulat, &c. fallit; si substantialiter verum quidem dicit, sed fit progressus in minori ex quod in quantum. Idem etiam est in sequenti:

4. *Quos digitos habuisti puer, eos nunc quoque habes:*
Sed habuisti digitos tantillos, &c. E.

5. *Id quod pependit in cruce, in S. cœnâ manducatur:*
Corpus tangibile, visibile, &c. E.

Quid mutatur in quale, & vicissim quale in quid in hoc trito illius Platonici apud Gell. l. 18. c. 13.

Quod ego sum, tu non es.
Ego sum homo. E:
Tu non es.

Quod sumitur pro quali, & ita vero consonat, si verò accipitur substantialiter, uti sonat, *fallit*. *Causa apparentiæ* in hâc fallaciâ est, ut liquet, de vocibus similiter terminatis idem ferendum esse judicium.

ARTICULUS VIII.

Fallacia accidentis traditur.

§. 21. Missis fallaciis in voce ludentibus accingamur nunc ad eas quæ in re ipsa fucum faciunt: Inter quas familiam ducit fallacia accidentis. Ubi præcognoscendum est, vocem accidentis non

non accipi hîc pro accidenti prędicabili, aut prædicamentali; sed omne prædicatum prædicationis formalis, quod modo aliquo diversum est à subjecto, hic nomine accidentis venire, ut, univocè, an denominativè prædicetur, nihil intersit. Causam apparentiæ præbet regula antepradicamentalis; *Quicquid dicitur de subjecto aliquo, id omne etiam de illius subjecto enunciari potest* Verùm quia in omni prædicatione formali; prædicatum aliquo modo idem est cum suo subjecto, ex alià verò ratione iterum diversum: secundū quod idem est, secundum illud accipitur regula logicè & verè, secundum quod diversum est, sumiter sophisticè & falsò. e. gr. Homo est animal, prædicatum idem est cum subjecto, sed & diversum; 1. quia animal in statu præcisionis sumtum, & ut abstractum ab homine mentis ἐπινοίᾳ, est genus: id verò velle de homine similiter prædicare fallacia erit accidentis. 2. in statu descensus sed disiunctivi, animal est quadrupes, sed hoc ipso diversum est ab homine. Ideò Canon prædicamentalis quoties violatur, toties fallacia hæc perpetratur. At ille violatur. 1. quoties mutatur genus prædicationis: Mutatio autem illa non semper est sophistica; sed solùm his casibus, quando major est *accidentalis* de quinto prædicabili, minor essentialis. e.g. Omne vivens generat, Τὰ σπερμάτα καὶ αὐτόματον γένεσιν ἔχοντα, (de quibus Philosophus lib. 2. de an. c. 4. t. 34. ut sunt muli, & ea quæ ex putredine nascuntur,) vivunt, E. generant;

rant, quod tamen experientia refutat. Resp. major est accidentalis, minor essentialis. Nam quamvis vivens, & generare, eadem sint quodammodo, tamen in hoc differunt, quod accidens commune non toti speciei, perinde ut proprium, se tribuat, sed ejus solum parti. Eodem morbo ægrotat hic locus:

Caro Adami est peccatrix,
Caro Christi est caro Adami. E.
Caro Christi est peccatrix.

Ideò etiam accipiendæ sunt illæ prædicationes accidentales, quæ sunt κατὰ παντὸς, & vocantur communiter accidentales inseparabiles. Aliàs hoc argumentum, etsi genus prædicationis mutet, probum est.

Omnis homo in Æthyopiâ natus est niger,
*Hic homo est homo in Æthyopia natus. Ergò.*vel
Omnis corvus est niger.
Hic corvus est corvus. E.
Hic corvus est niger.

Quamvis si accuratè rem inspiciamus, in his talibus non mutetur genus prædicationis. Nam in primo exemplo minor reverà est accidentalis; Prædicat enim Æthyopem de homine; At in Æthyopiâ natum esse, est homini accidentale. Secundum exemplum majorem habet falsam, quia dantur corvi albi, teste Scal. exerc. 59. f. 1. si verò hâc limitatione accipiatur: Omnis corvus in Germaniâ est niger, minor itidem evadet accidentalis. 2. *Quando suppositionis genus mutatur*, id quod fit quan-

quando, e. g. Una vox in unâ propositione supponitur simpliciter, in alterâ personaliter, vide hâc de re Philipp. Dutrieu. tr. 1. p. 3. c. 1. artic. 4. vel quando una vox supponitur semel materialiter & iterum formaliter; quod contingit in his exemplis:

Substantia est prædicamentum.
Homo est substantia. E.
Homo est prædicamentum.

Item: *Homo est vox.*
Tu es Homo. E.
Tu es vox.

In his fallacia est accidentis; quia secundum quod e. g. substantia ab homine diversa est, nimirum secundum illum conceptum, quo substantia prædicamentum denominatur, secundum illud putatur de inferioribus prædicari posse, quod tamen absonum. 3. *Quando mutatur genus prædicationis usitatum in peregrinum*, id quod regulâ aliquâ cavet Philipp. Melanchthon. l. 3. dial. p. 214. e. g.

Deus est ante mundum conditum.
Homo assumptus in tempore est Deus. E.
Homo assumptus in tempore est ante mundum conditum.

Item: *Caro est creatura.*
Deus est caro. E.
Deus est creatura.

Nam regula antepraedicamentalis accipienda est de iis cum quibus prædicatum quodammodo idem est, non de iis secundum quæ à subjecto differt

fert: nunc Deus cum homine convenit in iis quæ homo habet per unionis gratiam, non in iis quæ habet per æternam à patre generationem, Ergò in his argumentum non militat. Idem judicium eſt de ſimilibus. Sed & alius modus eſt hujusmodi ſtrophis occurrendi, de quo infra. 4. *Quando alterutra præmiſſa eſt figurata*, altera exiſtente propriâ, ut

Vulpes eſt animal quadrupes:
Herodes eſt vulpes. Ergò.

Sed piget in his tempus perdere; Rectius enim dijudicantur, ſi ex terminis non logicis efficias logicos. Addunt alii fallaciā hanc tum decipere, cùm propter contingentem cohæſionē duorum accidentium in uno ſubjecto colligitur cohæſio in alio etiam ſubjecto, ut: Johannes Baptiſta fuit ſanctus, & indutus veſtimento ex pilis camelorum. E. & monachus indutus his veſtimentis erit ſanctus; Sed ſi ſic ſyllogiſmus ſtruitur, argumentum erit à particulari. Item, quando propter contingentem cohæſionem prædicamentorum duorum, cum uno ſubjecto creduntur ipſa prædicata cohærere, eadem eſſe fallacia æſtimatur, e.g.

Homo eſt verax,
Homo eſt mendax. E.
Mendax eſt verax.

Item: *Hoc eſt cantharus.*
Hoc eſt vinum. E.
Vinum eſt cantharus.

Verùm in his talibus aliud vitium ſubeſt; de quo etiam infra.

ARTI-

ARTICULUS IX.

Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter enodatur.

§. 22. Dictum secundum quid est prædicatum, quod intelligitur cum aliquo modo aut determinatione, qui modus vel est 1. perficiens, ut rationalitas est differentia propriissima, sive cum addito, de quâ phrasi videsis Fr. Murciam. sup. lit. in cap. de different. Sed hic modus non est sophisticus. 2. alienans, seu tollens, quod fit, si sit contradictio in adjecto, ut: homo mortuus σιδηρόξυλον. 3. diminuens prædicatum. 1. ad esse solum potentiale, ut: semen est arbor potentia. 2. ad esse solùm transcendentale, ut: omne ens est verum secundum quid, id est transcendentaliter. 3. ad esse solùm repræsentativum vel sensui, ut homo pictus: vel memoriæ, ut Homerus est in hominum memoriâ. 4. ad esse solum partiale, ut Æthiops est albus quo ad dentes, ejusq; vel partis in re, ut in exemplo, vel partis in modo, ut: hæ theses sunt theses veræ. Huc etiam pertinet partialitas loci, temporis. 5. ad esse tale sive accidentale, ut: hic scyphus est scyphus aureus. *Causa apparentiæ est*, quod aliquando ab eo quod secundum quid dicitur, etiam boni disputatores concludunt ad id esse simpliciter. Nam 1. ii modi, qui perfectioné notant, patiuntur concludi à secundum quid ad simpliciter, ut Johannes est orator doctus E. est orator simpliciter. 2. ii modi, qui insunt satis

intensè, ſatis extensè, & ſatis protensè, vide canones logicos ſyll 1. diatr. 2, can. 12. 3. ii modi qui vendicant ſibi certam partem ſubjecti, ut: oculus eſt videns E. homo totus eſt videns. Excipe tamen illos modos, qui ita actu ſunt in unâ parte, ut nec potentiâ ſint in aliâ, ut criſpitudo, ſimitas, qui non denominant totum. Imò etiam à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid valet conſequentia, ſed negativè ſolùm, ut hoc poculum non eſt deauratum E. nec deauratum eſt auro Arabico. Extra hos caſus ſophiſticè proceditur 1. à ſimpliciter ad ſecundum quid in his exemplis;

1. *Qui tuas theſes, theſes appellat, is verum dicit.*
Qui tuas theſes falſas eſſe dicit, is eas appellat theſes. E.
Qui tuas theſes falſas appellat is verum dicit.

Major ſimpliciter accepta eſt vera, ſed falſa, ſi ſecundùm quid & cum additione falſitatis theſes accipiantur.

2. *Arma ſunt danda Domino: Ergo etiam furioſo.*

II. à ſecundum quid ad ſimpliciter. Ubi nota, ſophiſtam callidè ſæpè ſubticere modum, qui ſi adderetur, propoſitio aliqua non facilè concederetur. e.g.

1. *Omne ens eſt verum (ſcilicet tranſcendentaliter)*
Omnis propoſitio eſt ens. E.
Omnis propoſitio eſt vera, ſcilicet tranſcendentaliter.

2. Item *Omne quod eſt nominis, eſt rei* (non prout opponitur ſigno, ſed ſumtæ,) *tranſcendentaliter.*

Omnia

Omnis definitio nominis est nominis. E.
Omnis definitio nominis est rei.

3. *Qui vult animam servare, perdet eam.*
Ægrotus implorans operam medici vult animam servare. E.

Major simpliciter errat, cum modo accepta bene se habet, qui scilicet timidè fugiendo coronam martyrii vult animā servare, is eam perdet. Item, qui effuderit humanum sanguinem, illius sanguis rursus effundetur: Magistratus effundit humanum sanguinem Ergò &c. 4. apud populos orientales usus est acinacis E. ubique esse debet. Argumentum est à parte loci ad omnem locum, cum tamen illud proverbium observari deberet, νόμῳ καὶ χώρᾳ. 5. polygamia in V. T. impunis fuit Ergò & nunc debet esse impunis.

ARTICULUS X.

Fallacia Ignorationis elenchi exponitur.

§. 32. *Sequitur fallacia ignorationis elenchi*, quæ ex oscitantiâ quadam in bonæ contradictionis legibus nascitur. Quæ ideò etiam fallacia ἑτεροζητήσεως sive παρὰ τὸ ζητούμενον appellari consuevit. Quamvis autem hæc fallacia generalis esse possit, cum omnes aliæ omittant aliquam conditionem, quâ sine syllogismus non committitur cum thesi, tamen hic in specie agitur de illâ, quatenus oritur ex neglectu justæ oppositionis. Ejus decipiendi modos antequam seriatim enumeremus, prius tradere oportet, quæ sit justa contradictio? Resp. Rejecta contradictione in adjecto,

quæ ad methaphysicam spectat, impræsentiarum solum quæritur de contradictione logicâ. Requirit autem justa contradictio 1. *in genere* κατάφασιν καὶ ἀπόφασιν τῶ τοῦ αὐτοῦ ἡ αὐτοῦ, μὴ ὁμωνύμως. 2. *in specie* quantitatis diversitatem. His igitur conditionibus demum justa est contradictio, si 1. sit affirmatio & negatio oppositæ, propter cujus defectum subalterna oppositio rejicitur. Quamobrem non est oppositio in hoc exemplo: Omnis homo est totum in quantitate. Nullus homo est totum in quantitate. Nam propositio utraq; ait, quia totum subjectum non est homo, sed omnis homo, item nullus homo: de τῶ nullus homo affirmatur quod sit totum in quantitate. 2. *si sit idem subjectum.* Est enim oppositio τοῦ αὐτοῦ, quare nulla est oppositio in his: Homo est species, nullus homo est species. Item omne animal fuit in arca Noæ, quoddam animal non fuit in arcâ Noe. Quia in utroque exemplo non eadem servatur suppositio, cujus defectu termini identitas non est. In priori quidem homo 1. supponitur simpliciter 2. personaliter; in posteriori animal 1. supponitur confusè, pro generibus singulorum, 2. discretè pro singulis generum. 3. *si sit ἡ αὐτοῦ ejusdem, quatenus est idem*: unde exigitur, ut sit 1. secundum idem, id est, eandem partem. Quare ignoratio elenchi est, si quis has propositiones velit in duellum provocare:

1. *Latro fuit in paradiso*

Latro non fuit in paradiso, pependit enim in cruce.

1. Qui

2. *Qui natus est ex Maria virgine, is non est ab æterno;*
Christus natus est ex Maria virgine E.

Nam 1. latro fuit in paradiso, & non fuit, illud secundum animam, hoc secundum corpus. 2. Christus est ab æterno, & non est, illud, si divinitatem, hoc, si humanitatem spectes. 2. *ad idem*, id est, ut sit subjectum utrobique prorsus idem, de quo paulò ante. 3. *eodem respectu*, ideò hæc frustra inter se cõmittuntur: ovum est majus, ovum non est majus; estote calceati sandaliis Marc 6. 8. & non estote Matth. 10. 10. 4. *iisdem circumstantiis*, Ergò fumum vendunt sequentes logi: Deus sancivit circumcisioné Gen. 17. 10. at eam abrogavit Sp. S. Act. 15. 28. Christus nobis in omnibus est similis, & tamen omnipræsens. Valet hîc *regula Augustini: distingue tempora*. 5. *μὴ ὁμωνύμως*. Andabatarum igitur more pugnant hi, qui logicam artem esse contendunt in sensu laxiori: illi, qui idem negant, sed in sensu strictiori. Contra has leges quoties peccatur, toties cõmittitur ignoratio elenchi. Exempla sunt sequentia: 1. Omnis homo sedet: quidam homo non sedet, fieri potest, ut utrumque sit verum. 2. Nulla elementa sunt calidissima, quædam elementa sunt calidissima; utraque falsa. 3. Omnis homo irrationalis est animal, quidam homo irrationalis non est animal, utraque falsa, quia orta ex impossibili. 4. Omnis homo est dives, Abraham non est dives, utraque falsa. 5. Ego sum mutus, quæ vera est, quia id ipse dico, falsa, quia loquor, Ergò una & eadem propositio simul vera est

& simul falsa. Idem etiam usu venit in hisce: Ego juro, me nunquam jurare. Item: ego semper mentior. 6. Omnis homo est Adam, quidam homo non est Adam, utrumque verum ante lapsum, quia homo possibilis non fuit Adam. 7. Quilibet homo videt quemlibet equum suum, aliquis homo non videt aliquem equum suum. Utrumque verum. 8. Omne coloratum aliquo colore est coloratum, quoddam coloratum (nigrum) aliquo colore (nempe viridi) non est coloratum, utrumque vero consonat. 9. Nullum animal est omnis homo, aliquod animal est omnis homo, utraque verum tenet. 10. Omnis homo est omnis homo, aliquis homo non est omnis homo, utraque suâ luce radiat. Resp. ad 1. Utrumque verum esse potest, sed non copulativè, verùm disiunctivè: neque enim fas est dicere, ET, sed AUT omnis homo sedet, aut quidem homo non sedet. adeò verum est extra oppositionis respectum, propositiones contradictorias posse simul esse veras aut falsas, quod tamen non procedit in actu oppositionis, uti supra etiam exemplum ex Corn. Martin. retulimus. ad 2. oppositionem in plurali numero institui debere, negant peritiores logici, quia illic facile invenitur æquivocatio & ἄλλο, καὶ ἄλλο. 3. Homo irrationalis est σιδηρόξυλον, idem igitur est, ac si dicas, Omne nō ens est animal, aliquod non ens non est animal, ubi prior erit falsa, posterior vera. 4. Variatur suppositio. quid igitur mirum, si oppositio non procedat, unde ejus-

ejusmodi oppositionem vocant contrariam de lege, quâ utraque falsa esse potest. 5. oppositio est in materiâ logicâ, sed propositiones seipsas falsificantes non sunt propositiones logicæ, de quo infra, quamvis, qui dicit, se mutum esse, ille hoc ipso splendidè mentiatur. 6. non servatur eadem ampliatio. Nam si prior accipiatur de omni homine existente, vera erit, posterior falsa; si de omni homine absolutè, falsa erit prior, vera posterior. 7. prior est falsa, altera vera. Nam in altera τὸ quolibet debet repeti, quia est pars prædicati, signum enim prædicato affigi inconsuetum est. 8. mutatur rursus genus suppositionis, quia in priori coloratum supponitur distributivè, in posteriori discretè, idem hoc judicium esto, quod de exemplo quarto. 9. posterior est falsa, animal enim non sumitur pro animali in comuni, sed pro aliquo in particulari. 10. in priori est suppositio simplex, in quâ signum (omnis) est pars subjecti, sic igitur ei contradicendum fuerat: aliquis omnis homo non est homo, quod falsum.

ARTICULUS XI.

Explanatur petitio principij.

§. 24. Petitio principii est locus idoneus ad decipiendum ex eo, quod conclusio probanda ad probationem sui accipitur. Dicitur autem conclusio principium, quia initio proponitur, ut ad eam probatio dirigatur. Fonsec. l. 8. c. 13. Causa apparentiæ est, quia putat, per quod quid potest illu-

illuſtrari per idem etiam poſſe probari. Argumenta autem ejus modi reprehenduntur, non quia falſa ſunt, ſed quia fallacia. ſi enim voces ſpectes, nihil earum nexu verius, ſi animum ejus quo cum diſputas, nihil eo fallacius, vult enim iſtusmodi nugis te confundere. Modi hujus captionis ſunt 1. ridiculus prorſus & ferè inuſitatus, qui vocatur coccyſmus, e.g.

Cuculus coccyzat.
Cuculus eſt cuculus. E.
Cuculus coccyzat.
Omnis ſimus eſt naſo ſimus.
Aliquis naſus eſt ſimus. E.
Aliquis naſus eſt naſo ſimus.

Alter per ſynonyma, quando idem per idem mutato ſolùm nomine probatur: quò etiam pertinet probatio definiti ex definitione. *Objicis*, atqui definitio eſt reverà notior. Reſp. dictum eſt, hanc fallaciam non æſtimari debere ex parte rei, hac enim ſpectatâ verum dicit objectio, ſed ex animo diſputatoris, qui, ſi ante ſignificavit definitionem ejusmodi ſibi notam, (omnis enim diſputatio eſt ex quibusdam datis vel explicitè vel implicitè) ſed eam ipſam adhuc eſſe in dubio, tu nihilominus ex eâ datâ concludere velis, id, quod intendis, utiq; principium petiturus es, vide ſis Fonſecam in l. cit: 3. quando ad probandum particulare adhibet quis univerſale & vice verſa. e.g. Eccleſiæ auctoritas eſt ſupra ſcripturam E. ex autoritate Eccleſiæ pendet dogma de canone ſcripturæ S.

tæ S. nam utrumque est dubium: imò qui ex universali concludit particulare, plus petit quam principium. Si quis enim negat particulare, is multo magis negat universale, uti monet Dn. Piccart. in synops. p 405. 4. quando relatum probatur per suum correlatum, ut, hic homo est filius Petri, quia Petrus est Pater hujus hominis. 5. quando ex posteriori probatur prius l. 2. post. anal. c. 18. (non apodicticè sed) sophisticè, si e. g. quis interrogatus de causâ respondeat de effectu e.g. si quæram, quæ sit causa humiditatis in infantibus; tu respondeas, quia somnolenti sunt. 6. quando quovis modo ex ignoto probatur æquè ignotum, ut Papa jure possidet Italiam, quia illi à Constantino fuit donata: quò etiam referri potest colloquium bucolicum

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo;
Tres pateat cæli spacium, non amplius, ulnas?
Dic quibus in terris, inscripti nomina regum
Nascantur flores, & phyllida solus habebis.

Pertinent huc quæstiones Gymnosophistis ab Alexandro M. propositæ apud Plutarch. in Alex. p.m. 495. E quibus quintus interrogatus; diem an noctem prius extitisse arbitraretur? Dies, ait, uno die prior fuit. Mirante responsionem Rege, addidit; necessariò quæstionibus ambiguis propositis, obscuras etiam fieri responsiones.

His modis qui peccat, ille nihil efficit; sed solùm
——— *sub illis*
Montibus, inquit, erant, & erant sub montibus illis

Item

Item *Me mihi, perfide, prodis,*
Me mihi prodis ait.

Huc pertinet circulus ſophiſticus, quo velint, nolint, ludunt, quicunq; papam Romã principium omnis fidei divinæ vel edendæ vel certè ſolùm manifeſtandæ ſtatuunt. Hoc principium ſi eſſet, nemo deberet ei aſſenſum denegare, ſed quia ipſum per ſe non eſt clarum atque evidens, neq; penetratis terminis illico ad aſſentiẽdum cogit, quod reliqua faciunt principia, ex eo omninò infertur principium illud minimè eſſe. Aut enim eſſet principiũ rationis, aut revelationis, tertium non datur. Non ſanè rationis, quia, ut dixi, non eſt evidens, immò rationi planè contrarium, quæ negat effectum nobiliorem eſſe ſuâ causâ poſſe, adeoque veritatem divinam ac immutabilem ab homine mutationi voluntatis ac errori obnoxio nequaquam ſuſpendi poſſe. Non deſunt alia ſexcenta argumenta, quibus ratio hanc propoſitionem in dubium vocare poteſt. Non 2. revelationis; Aut enim in verbo Dei ſcripto legitur ſecundum literam, aut per conſequẽtiam infallibilem ex eodem extruitur. Dices, innoteſcere ex verbo non ſcripto ac traditionibus. Reſp. taceo, ſæpe in his afferri teſtem de domo, ut loquuntur JCti. Illud ſolùm rurſus quæro, an iſtæ traditiones ſint rationis, num revelationis principia? rationis? atqui rurſus principium rationis nequit gignere fidem divinam. Revelationis, inquies? Cujus? ſcriptę, aut nõ ſcriptæ? ſcriptę?

at hæc damnat traditiones non ſcriptas, ſi pro divinis ac canonicis habeantur, nunc verò juxta Tridentinos pari reverentia verbum non ſcriptum & ſcriptum eſt excipiendum. Ergò cum ſcriptura damnat traditionum canonicam veritatem, hoc ipſo credendũ eſt, traditiones non ſcriptas non continere infallibilem revelationem. Dices, non ſcriptæ: atqui huic, ut dixi, denegat revelationis dignitatem, revelatio ſcripta. Sed cur ita ſum prolixus? Jam enim quidam ex illis partibus conati ſunt ſuum principium probare ex ſcripturâ. Repeto igitur primum diſiunctum. Aut in ſcripturâ ſecundũ literam legitur pontificem eſſe principium omnis fidei; aut per conſequentiam concluſio extruitur. non illud; citent enim illam ſcripturam & vincant. Ergò hoc: quod ſi ſit, obtinetur propoſitum. Concluſio enim quæ demonſtratur, etſi veriſſima ſit, tamen principium non eſt illud primum ac indemonſtrabile. Ad minimum igitur tenentur pontificii probare hanc ſuam propoſitionem; in quo neceſſario circulum comittunt. Argumententur illi ex Matth. 16. cap. hoc modo.

Q. ſcriptura aſſerit collatum Petro eſſe, idem & papæ,
Sed infallibile judicium de controverſiis, ac infallibilem
ſenſus ſcripturæ manifeſtationem
l. cit. ſcriptura aſſerit collatam eſſe Petro. Ergò,
idem jus ad papam deſcendit.

Condonemus ipſis majorem, quæ multis modis dubia eſt: Diffiteri nequaquam poſſunt ipſi, va-

rios tùm veterum tùm recentiorum de nobilitato illo loco extare interpretationes, aliis δεικτικῶς Petram retrò ad Christum referentibus, aliis de Petro verba accipientibus. Opus igitur est sensus veri ac germani illustratione, hujus autem rei cum promus condus sit papa, procul dubiò minor hoc modò ab ejus stricturis sibi lucem fœnerabitur:

Quo sensu scripturam pontifex interpretatur; is est verissimus.

sed hoc sensu (quô ad Petrum hæc verba referuntur, quoque per consequens infallibile judicium papæ asseritur) scripturam papa interpretatur: Ergò hîc sensus est verissimus: Major cum sit ipsum ζητούμενον eget probatione, probant autem illam ex Matthæi 16. hoc modo:

Cuicunque dictum est, tu es Petrus &c: is in quo sensu scripturam explicat, est verissimus

Sed Petro ejusque vicariis dictum est tu es Petrus; &c. Ergò.

Major & minor iterum stant in statione ambiguâ, atque, ne circulus nimis fiat prolixus, probetur sola major:

Quo sensu aliquam scripturam Papa exponit is est verus:

Dictum Matthæi ita explicat pontifex, ut is sensus verus esse debeat, qui ab ipso auctore prodierit E.

Atque primo ad ultimum: Quocunque sensu aliquam scripturam exponit pontifex Rom. is verus est:

Quia, quocunque sensu aliquam scripturam exponit Pontifex is verus est. Scilicet τὸ αὐτὸν αὐτῷ.

Aut

Aut nullus omninò circulus sophisticus est, aut hic est longè illustrissimus.

Neq; elabetur Becanus aut Gretserus futili exceptione, quorum ille fidem se verbo Dei acceptam referre fatetur, ipsam verò fidei acceptioné pendere ait ex infallibili propositione Ecclesiæ. Hic negat omnem circulum in vitio esse, quod etiam detur Regressus demonstrativus. Contra 1. quæro ex Becano, cur hanc fidem de infallibilitate papæ Romani receperit? an ex verbo Dei ipso? E. omné aliam fidei acceptionem verbo Dei similiter ac unicè acceptam referat, (cum ipsum sufficiens sit non solum fidei faciendæ sed etiam divinæ ac infallibilis veritatis in corde humano asseverandæ: tantæ enim efficaciæ verbum Dei est, ut pie auditum neminem dubitare permittat esse hoc verbum Dei, ut alibi nostrates demonstrarunt) an infallibili papæ judicio commotus credidit infallibile papæ judicium? quod si sit, jam circulo se implicat illi è quo futili distinctione eluctari laboravit. II. Gretsero respondemus, aut ignorasse ipsam naturam regressus demonstrativi, aut sophisticè dissimulasse: legatur hâc de re Aristoteles l. 2. post. anal. c. 12. & l. 2. prior. c. 18. unde apparebit tam similem esse coccysmum illum regressui demonstrativo, quàm similis est abortus justo partui. In regressu unum est alterius effectus & alterum hujus causa. 2. unum est notius nobis, alterum notius naturâ. 3. τὸ ὅτι convertitur in διότι non quidem, ut hâc conversione assensus (qui jam

ante adefat) ſed ut ſcientia (quam potiſſimam vocant) obtineatur. Ejuſmodi regreſſus Theologicus eſſet, ſi quis ita argumentaretur: Datur Trinunitas E. hoc ſcriptura S. revelavit. Item ſcriptura S. revelavit Trinunitatem E. datur Trinunitas. Verum quando demonſtranda eſt pontificis infallibilitas, ea verò probatur ex ſcripturâ in ſenſu papali acceptâ, utrumque eſt ignotum, tàm enim dubius hic eſt, quam illa. Contra circulus ſophiſticus in genere eſt, quotieſcunq; ex æquè ignoto probatur æquè ignotum, quod adeò verum eſt, ut, etſiamſi unũ ſit cauſa vel effectus alterius, & verò neutrum ſi altero notius, nihilominus dicatur circulus ſophiſticus; hic enim æſtimatur non ex parte rei, ſed ex parte diſputatorum, quos inter quoties aliquid probatur ex principio quidem clariſſimo, tamen, ad hominem, ignoto, toties petitio principii committitur. Hinc Ariſt. l. 2. prior an. c. 18. circulum eſſe affirmat, quando ex poſterioribus probatur prius e. g. cum quæritur, cur infantes ſint humidioris temperamenti, tu reſpondeas, quia continuò lacrymas ſtillant. Sed perget quærere diſputator, cur continuò lacrymas ſtillent? Sed de his quoque ſatis.

ARTICULUS XII.

Cæteræ, quæ ſuper ſunt, fallaciæ enucleantur.

§. 26. *Fallacia conſequentis* fortaſſis non peculiarem captionem conſtituit, cum 1. conſequentia

vitioſa

vitiosa formalis pertineat aliorsum, 2. ea quæ peccat in materia fusa sit per omnes superiores locos. 3. commodè quicquid de eâ tractatur ad fallaciam accidentis referri possit, attestante Fonse c.10. & 14. Nihilominus suo quodam consilio de eâ seorsim agere voluit Aristoteles, quia in dialecticis disputationibus crebrò eâ tempestate occurrebat, neque omnia in hâc doctrinâ ad amussim examinari debent. Contingit autem duobus modis, primò ex vitiosâ conversione, e.g. quia fures noctu vagari solent, hinc Rhetores sæpe argumentantur, hic noctu vagatus est, E. est fur: & quia Cicero alicubi scribit, ex rerum intelligentia efflorescere orationem: ex eo quidam efficere conantur eum qui copiosè de re aliquâ loquitur eam rectè intelligere. Item nemo venit ad filium nisi pater eum traxerit. Ergò si quem pater trahit ille venit 2. quando vitiosè ex opposito antecedentis infertur oppositum consequentis, fallacia consequentis esse dicitur. e.g Si mundus generatus est, incipit esse, Ergò si mundus non est generatus non incipit esse, Hûc etiam pertinet ille logos,

Si nullum tempus esset, nox non esset.
Si nox non esset, dies esset.
Si dies esset, utique tempus esset. E.
Si nullum tempus esset, tempus esset.

Item: *Si nullum tempus esset, nox non esset.* E.
Si tempus esset nox esset.

Hæc cur non sequantur suis in locis videndum.

est, quando acturi sumus de conversione, & consequentiâ ex contrariis, quæ si justa est, constat ex propositionibus reciprocis, jam hæc non est reciproca, si nullum tempus esset nulla nox est, quia falsum est, si nulla nox esset, nullum quoque tempus fore, nam tempore Josuæ nulla nox fuit, Ergone nullum tempus? *Causa apparentiæ est*, quod propositiones aliquæ universales sint convertibiles, ut Omnis homo est risibilis; Item, quod contraria sit contrariorum consequentia.

§. 27. II. Fallacia à non causa ut causâ, ex mente Aristotelis, solùm locum habet in syllogismis ducentibus ad absurdum, ubi tu absurdum aliquod deducis, quasi id ex meâ sequeretur sententia, cum ex mea tamen prorsus non sequatur, sed ex tuâ, e.g. cõcedam ego pontificio, nos recipere vocem ὁμοουσίου, quia illa in Concilio Niceno fuit civitate Ecclesiastica donata: ex eo ipse inferat, Ergò in reliquis articulis fidei nos debere stare auctoritate omnium Conciliorum etiam Tridentini; Rectè ego regeram, esse fallaciam à non causa ut causa, quia hæc conclusio non sequitur ex mea data, sed ex mala collectione tuâ particulari ad universale. Ad tales fallacias solemus respondere, inquit Piccart. p. 428: Domine, μὴ παρὰ τοῦτο, non sequitur id absurdum ex meâ sententiâ, & hoc est ἀναίτιον τοῦ ψεύδους συμπεράσματος accipere ὡς αἴτιον. Recentiores tamen logici non male extenderunt hanc fallaciam ad eas argumentationes, in quibus pro verâ causa affertur ut causa,
sive

ſive cauſa per accidens. Erit igitur fallacia à non cauſa ut cauſa, in his exemplis: 1. Utinam ne in nemore Pelio arbores fuiſſent cæſę, Medea in calamitatem non incidiſſet. Ex peregrinatione ſequuntur multa incommoda, ſi enim Alexander nunquam veniſſet in Perſiam, nec Antonius in Ægyptum, nunquam ita famæ feciſſent naufragium. Ergò non eſt peregrè abeundum. Item ex philoſophiâ multæ ortæ ſunt hæreſes, E. ipſa eò ableganda, unde negant redire quemquam. In his talibus eſt fallacia à non cauſa ut cauſa, ponitur enim occaſio mali, pro vera mali cauſa, quod male fit. nam arbor ſcientiæ boni & mali fuit occaſio mali, nec tamen cauſa; ita etiam ſe res habet cum peregrinatione & Philoſophiâ, & in genere omnibus rebus, quas Ariſtoteles vocat neutras. Vera enim cauſa corruptorum morum eſt (non peregrinatio, ſed) naturalis proclivitas ad malum ſugendum potius quam bonum. Ut autem conſtet, quæ rei alicuius ſit cauſa per accidens, obſerva, eam eſſe per accidens, quæ non eſt per ſe: eam non eſſe per ſe, quæ non de omni, quia ex negatione τῦ κατὰ παντὸς, rectè infertur, negatio τῦ καθ' ἀυτὸ. quod ſi igitur vel unum ſolum peregrinatorem vel philoſophum oſtendere poſſum, qui illis occaſionibus male non ſunt uſi, utique philoſophia vel peregrinatio illorum malorum non erunt cauſæ per ſe, quæ ipſis imputantur.

§. 28. Super eſt denique fallacia plurium interrogationum, cujus nomen ortum eſt ex veteri

consuetudine disputandi, quæ erat non syllogistica, sed dialogica, nihilominus etiam syllogisticè proponi tale sophisma potest, sed tùm facilius percipitur dolus, exempli gratiâ

Omnis cultus in Ecclesia sine mandato Dei institutus est falsus cultus.

Invocatio Sanctorum & Trinitatis est cultus, &c. E.

Causa apparentiæ est, quia ad omnem quæstionem affirmando vel negando respondendum sit, Committitur hæc fallacia, quando 1. plura Prædicata ad unum subjectum quod alterutrius solùm non utriusque est capax accommodantur, e.g. estne peccatum ens, an non ens? quicquid tanges, fœdaberis, si enim ens est, Ergò creatum; si non ens, ergò peccatum nihil est, colliget cavillator. 2. applicando unum prædicatum multis subjectis, ut, suntne sancti & Deus invocandus? 3. referendo unum prædicatum ad unum subjectum, ut Petrus est homo, quanta est? dic age, esse singularem, colliget sophista, ergò non est quanta, nega esse singularem, inferet te falsum dicere. sic apud Laert. l. 2. c. 18 Menedemus percontanti cuidam Alexino an patrem cædere desiisset? rectè respondit, neque cecidi, neq; desii: perperam vel affirmasset vel negasset; illud; Ergò cecidisset antea parentem etsi nunc desiisset; hoc? ergò adhuc se verberare fateretur.

CAPUT

CAPUT II.

Continens specialiorem & accuratiorem sophismatum detectionem. De primo sophistarum Epicheremate seu Aggressu.

ARTICULUS I.

De sophismatibus circa statum controversiæ & contradictionem.

§. 29. Novit omninò sophista illam *Cabbalistarum* literarum μετάθεσιν ex voce אמן tale de se gignere axioma כל - נאם או-אמן - אן - מאן *omne dictum aut verum aut falsum*, cum impossibile sit duo contradictoria simul esse vera: ideò omni curâ in id laborat, ut disputator vel patiatur thesin suam falsitatis convinci, vel statuat, duo contradictoria simul vera esse aut simul falsa. Quod extorquere facile potest à logicæ imperito; id quod uno aut altero exemplo fiet planius:

I. Respondens ponit hanc thesin:

Omnis bestia est irrationalis.

Sophista instat quærendo:

An hæc propositio, quæ sequitur, vera sit, num falsa?

Nulla bestia magis est rationalis quam elephas.

Respondens, dicit esse veram; Sophista reponit.

Ergò quædam bestia est rationalis; atque sic thesi

ſupra poſitæ contradixit, quam, quia hæc proxima vera eſt, falſam eſſe oportet.

Sed dicet fortaſſe Reſpondens, illam eſſe falſam; Regeret Sophiſta.

Ergo ejus contradictoria eſt vera, hæc nempe
Quædam beſtia magis eſt rationalis quàm Elephas.
Ergo adhuc quædam beſtia eſt rationalis.

Excogitavit hanc decipiendi rationem Illuſtris & Doctiſſimus Comes Picus Mirandulanus. Scripſerat is nongentas quæſtiones Romæ in publico conſeſſu defendendas, quas inter, in ordine quæſtionum magicarum, nona, erat:

Nulla eſt ſcientia, quæ nos magis certificat de divinitate Chriſti, quàm Magia & Cabala.

Vix lucem hæc theſis vidit, illicò invenit, ut Picus loquitur, ſuos obtrectatores. Ideò his cum oppoſuiſſet apologiam, p. m. 167. ſcribit ſuos adverſarios damnaturos theſin propoſitam, eandem coactum iri pro vera & catholica reputare, atq; confiteri aliquam ſcientiam humanam certificare divinitatem Chriſti, id quod ipſis erat viſum perimpium ac perabſurdum. Nam vel vera eſt Pici theſis vel falſa; ſi vera, cur impia? cur damnata? ſi falſa, contradictoria ejus erit vera, hæc nimirum.

Quædam ſcientia humana magis nos certificat de divitate Chriſti, quam Magia & Cabala.

Adeoque datur aliqua ſcientia humana quæ hoc præſtet, & quidem magis quàm Magia & Cabala.

II. Eſto

II. Esto à te posita hæc thesis:
Angeli non sunt adorandi.
Sophista quæret, num, quæ sequitur, propositio vera sit, an falsa? *Non soli Angeli sunt adorandi.* Dices esse veram? Ergò fateberis esse adorandos angelos, tametsi non solos. Falsam *inquies*, Ergò vera erit contradictoria, *Soli Angeli sunt adorandi.* Utrovis modo tua thesis convincitur falsitatis. III. Sit in ære tuo Sophista, & debeat thalerum Philippicum. Aere se tuo facile exsolvet his nugis. Probabo, dicet, tibi, nullum me debere thalerum, ducetque te ad rem suam numariam omnem: nec hunc, inquiens, tibi debeo thalerũ; possem enim secundum dare: nec alterum tibi debeo, quia redimere possem tertio, &c. eodem modo si in universum omnes thaleri præstò essent, de singulis diceret, se hunc non debere, cum semper alium exhibere ei liceret. Concludet igitur, si tibi nec hunc debeo thalerum, nec istum debeo thalerum nec tertium debeo, &c, sequitur me tibi nullum debere vi inductionis. IV. Asseras tu, falsum esse quod omne animal sit rationale, excipiet Sophista hoc modo

Cujus contradictoria vera est, illa est falsa,
Tuæ theseos contradictoria vera est, E.
Tua thesis est falsa.

Minor probatur, nam hæc contradictoria: Quoddam animal esse rationale non est falsum, verum hoc utique.

§. 30. Verum hos & his similes ictus logicæ

 gnarus

gnatus disputator facilè exibit, nam quoad 1. respondebit, propositiones illas exponibiles in suo prius nativo sensu constituendas esse, antequam contradictione inter se coeant. Prima fraus hunc in modum detegitur: Propositio hæc: *Nulla bestia magis est rationalis quam Elephas*, comparationem habet abusivam, exponendam per oppositum cum adverbio minus: *Nulla bestia minus est irrationalis quam elephas.* Confer sect. 1. art. 3. §.28.c.2. Jam facile est ferre judicium de veritate & falsitate, adeoque affirmare, propositionem illam esse veram. Sed *inferas, Nulla bestia est minus irrationalis quam Elephas, Ergò quædam bestia est rationalis?* Negatur consequentia, nam à minus non esse ad esse formaliter, nunquam concluditur. Eadem ratione ab invidiâ liberatur thesis Pici, accepta hoc sensu:

Nullà scientia humana minus nos incertos relinquit de divinitate Christi, quam Magia & Cabala.

Ex quâ sophisticè inferebat Picus, Ergò quædam scientia certificat, &c. Quæsitus igitur, an hæc, *Nulla scientia humana nos magis certificat, &c.* vera sit, num falsa? citra adhibitionem expositionis nullam ego responsionem præcipitavero, sed demonstravero, esse hanc comparationem impropriam, in quâ tertium comparationis neutri insit: esse igitur ex præscripto logicorum exponendam per oppositum, cum adverbio minus: expositione facta, dixero propositionem esse veram, sed inde non sequi, quod colligebat Picus, quia, ut dixi, à minus

minus non certificare, ad certificare non valet consequentia. Non enim sequitur, Angelus est minus non Deus, quam arbor, Ergò est Deus: Aer est minus non gravis quam ignis. E. Aer est gravis. Eandem solutionem etiam habet II. fallacia: Expositionis enim beneficio detegitur facilimè, quô oppositio instituitur non in propositionibus expositis, sed exponentibus, e.g.

Expositæ

Soli Angeli sunt adorandi. { *Non soli Angeli sunt adorandi.*

Exponentes

1. *Angeli sunt adorandi* { *Angeli sunt adorandi* (*juxta expositionem naturalem, ut appellat* Cornel. supra sect. 1. §. 30.) vel *Angeli non sunt adorandi, juxta regulam nostram in fine illius paragraphi positam.*

2. *Aliud ab Angelis non est adorandum.* } *Aliud ab Angelis est adorandum.*

In hoc schematismo primæ duæ exponentes bifariam institutæ, una parte non sibi contradicunt, quia hæ duæ (*Angeli sunt adorandi, & Angeli sunt adorandi*) ambæ affirmant. Ex alterâ parte sibi quidem contradicunt, sed una vera est, altera falsa. Vera illa *Angelos non esse adorandos*, falsa ista, *Angelos esse adorandos.* Secundæ duæ exponentes verum etiam à falso dividunt, nam hæc falsa est,

Aliud

Aliud ab Angelis non esse adorandum: hæc vera, *aliud ab Angelis esse adorandum.* Quæsitus igitur, num hæc (*Soli Angeli sunt adorandi,*) vera sit an falsa? Responsioné retinuero, & in exponentibus quæsivero elabendi rimam, ac dixero primas duas exponentes, ex unâ parte ambas esse falsas: nec alteram alteri esse contradictoriè oppositam, ut alteram veram esse necesse sit. Ex altera parte falsam hanc esse, *Angeli sunt adorandi*, veram illam, *Angeli non sunt adorandi.* Secundas duas exponentes dividere etiam verum à falso. Et veram hanc esse, quæ affirmat: *Aliud ab Angelis esse adorandum*, falsam, quæ hoc ipsum negat. Tertius paralogismus etiam ex superiori doctrinâ de expositionibus & descensibus profligendus est. Nam illius propositionis juxta duplicem ejus descensum, duplex est sensus vel 1. copulatus, quo negotio pertinet ad verbum debendi, ipsamq; debitionem negat, hoc modo, nec hunc, nec illum, nec istũ, nec quemvis alium in toto mundo existentem debeo thalerum, vel 2. distributivus, quo non debitio, sed solum (ut ita loquar debitionis hæcceitas) negatur, hoc modo, hunc thalerum non debeo, illum thalerum non debeo, & interim tamen aliquem thalerum debeo. Jam à membris copulativè expositis per *nec*, ad universalem negantem semper valere consequentiam: formaliter autem non valere à membris distributivè expositis. Ad 4. quid respónderi debeat ex oppositione modalium infra latius explicanda apparebit.

ARTI-

ARTICULUS II.

De secundo sophistarum Epicheremate, quo adoriuntur Orationes non logicas, ob materiæ ineptitudinem.

§. 31. Non esse de nihilo discrimen, quod Philosophus in l. περὶ ἑρμηνείας assignat inter orationes enunciativas & non enunciativas, liquet, quod in omni arte certa requiratur materiæ habilitas, cui forma artificiosa imprimenda sit, cum ex *quolibet non* fiat quodlibet, nec ex quovis ligno Mercurius. Ut enim ad literas typis exscribendas non omnis materia idonea est, quæ æri supponitur, siquidem eadem opera laterem lavaret Typographus, qua lapidi aut ligno imprimere characterem conaretur. *Omne enim accidens est in subjecto sibi suo proportionato,* ut fusè docet *Suarez disp. Metaph. 44. sect. 1. n 9.* Cum autem finis logicæ veritas sit, illæ solùm orationes logicarum formatum erunt capaces, quæ veritati non vel affectui vel incertitudini alii inserviunt: Ex quo sequitur omnes regulas logicas, omnes itidem consequentias logicas, procedere in oratione solùm logicâ ac enunciativâ, non aliâ quavis; nec audiri sine periculo debere orationem grammaticam vel rhetoricam in aliquo syllogismo, nisi per quantulamcunque inflexionem ad aptitudinem materiæ logicæ prius revocata fuerit, secus sophisticæ latus aperietur campus. *Est autem oratio enunciativa, quæ constat ex nomine & verbo logico*

utro-

utroq; significans verum vel falsum determinatè. Nomen logicum sollicitè satis definit *Aristoteles*(quia sagacissimè subodoratus est errores nasci possibiles, si frigidius hanc rem attigisset) & ex Aristotele *Fonseca*, hoc modo:

§. 32. *Nomen est vox α, significans β, ex instituto γ. definitum δ, ac sine tempore ε, cujus nulla pars significat separatim, quæque adjuncto est, aut non est, efficit orationem, quæ verum aut falsum significat. α. significans*, videlicet ut signum doctrinale, quod juxta August. præter speciem, quam sensibus ingerit, aliquid aliud extra se facit cognoscere. Ratio; quia nihil est signum sui ipsius. videatur Fr. *Murcia. disp. 1. de rat. term. q. 3. Quæritur ergò: an Blictri sit nomen logicum?* Negatur, quia non est vox significans; id verò quod nihil significat pars orationis esse nequit, cum significatio totius orationis coalescat ex significatione suarum partium, Fonsec. l. 1. c. 15. quæ ubi significativæ non sunt, nec ipsa logicè significare potest. *Objicit Mendoza* disput. 1. sum. s. 2. n. 6. Blictri esse revera nomen, quia 1. potest fieri subjectum in aliqua enunciatione, e. gr. Blictri est vox. 2. ait revera esse signum termini alicujus mentalis ipsi respondentis. quia 3. seipsum & suum prolatorem significat. Resp. 1. in illâ propositione subjectum non est Blictri, sed implicitè subintelligitur (hæc vox:) sicut si dicam O est circulus, τὸ O non est subjectum, sed, quod subintelligitur, hæc figura. Ad 2. si Blictri supponitur pro conceptu mentali, hæc propositio (Blictri est vox) erit falsa, nam supponi ut

vox non est nude manifestare conceptum, sed pro re signatâ poni. Ad 3. quando Blictri significat seipsum, & supponitur materialiter, tùm hoc ipso non est signum (quod intelligit Aristoteles) doctrinale; parum deinde refert, quod significet suum prolatorem, illum enim significat, non ut vox significans suum objectum, sed ut effectus suam causam. *Instare* quis fortean posset, Alphabetharios illos syllogismos Aristotelis, (ex. gr. Omne α est β. Omne γ est α. *E. Omne γ est β.*) nullos esse, cum non constent ex nominibus logicis. Resp. *Sicut in Geometriâ* cum duæ lineæ sunt connectendæ geometra præcipit, jungi A cum B. id verò non intelligitur materialiter de his literis, quas hoc modo copulare grammatici est, sed significativè de naturâ substratâ: ita nec in syllogismis istiusmodi hæ literæ sumuntur materialiter pro seipsis; efficerent enim propositiones falsas, sed capiuntur confusè pro subjectis & prædicatis quarumvis propositionum, sive mathematicarum, sive ethicarum, sive metaphysicarũ, &c. λ. *Ex instituto*, quâ conditione sequestratur à signis naturalibus, ut sunt rugitus, latratus. γ. *Definitum* Unde exulant nomina infinita, ideò quia orationem efficiunt nihil certi aut determinati importantem. Objicis, etsi infiniti termini non sint nomina logica, esse tamen orationes; nam (non homo) duos conceptus menti ingerit. Resp. aliud est significare negationem hominis, aliud negationem & hominem; ita non sequitur: pater dicit respe-

respectum ad filium, E. dicit respectum & filium. δ. *significare sine tempore* est præter principale significatum, nullam primariam temporis differentiam denotare; primarias temporis differentias dico præsens, præteritum & futurum. Unde 1. hora, dies, sunt revera nomina logica; quia significant quidem principaliter tempus, sed præter principale significatum non denotant ullum tempus. 2. Prandium, cœna, itidem nomina manent, licet præter principale significatum, quod est refectio corporis, notent aliquod tempus, meridiem scilicet aut vesperam, non tamen implicant primariam aliquam temporis differentiam. E. *Separatim.* Nota illam partem significare seorsim, 1. quæ peculiarem menti ingerit notionem, hinc in dominus, nec Do, nec, minus significant propriè separatim; cum enim tota dictio auditur, in nullius mentem veniunt duo conceptus, quorum alter respondeat parti Do, alter parti, minus. Ex quo obiter patet, non accuratos satis esse, qui in metaphysicis τὸ aliquid distingunt in duas acceptiones, quarum una significet alietatem, q. d. aliud quid; altera aliam quidditatem. Nam audita voce, Aliquid, nulli in mentem venit alietas, multum igitur differunt significare aliquid, & ab aliquo derivari. 2. Ea pars significat seorsim, cujus signficationem, qui tolleret, efficeret, ne tota vox significaret, quod significabat antea: quod si verò maximè in Dominus significationem weniger tollas, tamen Domi-

nos

nus idem significat quod antea. Paucis, distingue inter significare seorsim extra totum & in toto: Dominus significat seorsim extra totum seu compositionem, sed non in toto. Quare hoc notandum venit, quando propositionis alicuius subjectum pluribus constat vocibus seorsim significantibus; nomen logicum non esse id omne quod loco subjecti, sed quod in casu recto ponitur, reliqua quæ adduntur, esse tantum nominis modos & determinationes; seu casus. *Vltimæ particulæ additæ sunt propter casus obliquos, syncategoremata, adjectiva adjectivè sumta:* Nullum enim important sensum certum, qui verum aut falsum significet; e.g. Platonis est, omnis est, candidus est; Et quia subjectum & prædicatum debent eodem casu cōvenire; ut observat Dutrieu p 5. hinc prædicata logica sunt nec casus obliquus, nec syncategorema, nec adjectivum adjectivè sumtum, h: e. non concretivè acceptum (nam si τὸ Philosophus sumas concretivè, duo notat, subjectū (Aristotelem) in recto, formam in obliquo, ut idem sit philosophum nominare, atq; hominem philosophiâ præditum: si verò τὸ Philosophus sumatur adiectivè, tunc solùm modificat subiectum, non illud includit; neque hac acceptione magis certum sensum patit: homo est candidus, quàm si dicas; candidus est) Subest & alia ratio, cur adiectivum adiectivè sumtum non possit esse verbum logicum, quia omne accidens debet prædicari de subjecto in sensu identico, id est, ut subjectum invol-

vatur in prædicato: niſi enim, cum dico, (homo eſt candidus) candidus involvat hominem, hoc ſenſu, homo eſt homo candore præditus, tum accidens in caſu recto prædicabitur de ſubſtantiâ, id eſt, oppoſitum de oppoſito, cum accidens & ſubſtantia ſibimet opponantur contradictoriè.

§. 33. *Verbum Logicum eſt Vox ſignificans ex inſtituto definitè cum tempore & modo indicativo, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim, & ſemper eorum, quæ de aliquo dicuntur, eſt nota.* Excluduntur ergò 1. *verba infinita*, quæ incertum pariunt ſenſum. verba infinita dico, ex parte illius termini, qui ſequitur copulam, nam aliàs verbum infinitari nõ poteſt. 2. *caſus verborum obliqui*, ut ſunt omnia tempora & modi præter præſens & indicativum, ſuntq; rationes in promptu, quia 1. quædam reliquorum modorum & temporum invenies, quæ nunquam prædicantur, ut diſputa; quædam, etſi aliquando prædicati loco ponantur, tamen ſæpius non prædicantur, ut diſputare, diſputavit: indicativa verò & præſentia ſemper ſunt notæ eorum quæ de aliquo dicuntur, eſt hæc ratio Fonſecæ. Quia 2. tempus præteritum aut Futurum κατ' ἄλλο, & quaſi per accidens, verũ aut falſum ſignificant. Nam ideò rectè dico: Ariſtoteles fuit philoſophus, quia aliquando dicere licuit, Ariſtoteles eſt philoſophus; quia 3. ſolus modus indicativus notitiam parit, reliqui modi ſunt rhetorici, aut poëtici, qui nõ veritatem, ſed affectũ, exprimunt, Illud adhuc expediendum eſt, *an etiam propoſitio-*

nes

ties hypothetica sint propositiones logica? Negatur; nam vel enunciantur dubitativè in subiunctivo modo, tempore imperfecto: e.g. si Petrus haberet sumtus necessarios, evaderet doctus: vel itidem enunciantur cum aliquâ animi suspensione, idque in indicativo e. g. si asinus volat habet pennas, ubi τὸ SI ὁμολογικὸν q.d. esto, posito (sed non concesso) asinum volare, tunc habet pennas: vel tertiò sine dubitatione, quasi assertoriè enunciatur necessarius nexus inter antecedens & consequens e.g. si sol lucet, dies est. De prioribus duobus enunciandi modis res est liquida; quod non constituant propositiones verè logicas, quia animum suspendunt, nec dicunt, quid res sit, vel nō sit, sed quid esset, vel non esset, si talis cōditio adimpleretur. Ratio verò est in promptu, quia finis est mensura mediorum, finis verò logicæ est liquidam & certam veritatem invenire, media igitur & propositiones logicas eiusdem conditionis esse oportet. Tertius verò enunciandi modus est integrum enthymema; Nam tunc, SI, non est conjunctio conditionalis, sed causalis, vel ratiocinativa, æquipollens τῷ Quia; hoc sensu, quia sol lucet, dies est.

§. 34. His præsuppositis jam ordine enumerabimus sophismata, quæ frustra habere possunt eum, qui à discrimine orationis enunciativæ & non enunciativæ non est instructus: 1. *Optârim ego anathema esse prô fratribus meis.* Roman. 9. v. 1. Hæc propositio aut est vera, aut

 falsa,

falſa, neq; datur tertium; Si vera, ſequitur, poſſibile eſſe, ut Paulus fiat anathema à Chriſto, h. e. ut electus damnetur; ſi falſa, E. Paulus falſum dixit; cum tamen proteſtetur, & juret, ſe non mentiri. 2. Illa propoſitio (Gen. 3: 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.*) aut vera eſt, aut falſa. ſi vera, Ergò Iconis ille perditor Deo factus eſt ſimilis? ſi falſa. E. prima ac divina veritas falſum dixit. 3. Huc pertinent propoſitiones ſeipſas falſificantes, quarum ſophiſmata olim credebantur inſolubilia, dicebant enim, quadraturam circuli prius inventum iri: quòd majus ſit hâs orationis contortiones quàm ſignorum ortus obitusque perdiſcere, ut loquitur Cic. l. de Fato. Falſificant enim ſeipſas vel immediatè vel mediatè: immediatè, ut cum quis dicit: *Hæc enunciatio eſt falſa* (intelligendo de hâc ipsâ quam pronunciârat) quæſtio eſt, veráne illa propoſitio ſit, an falſa? ſi vera eſt, dicet quòd eſt; dicit autē, ſe falſam eſſe, E. ſi vera eſt falſa eſt. ſi falſa eſt; dicet quod non eſt; dicet autem, ſe eſſe falſam. E. ſi falſa eſt non eſt falſa. *Cicero* l. 4. Acad. qq. ita proponit. ſi dicis te mentiri, verumque dicis, Ergò mentiris. Vel 4. mediatè. e. g. Dicat Socrates Platoni, *proximum tuum dictum erit verum;* Reſpondeat Plato, *proximum tuum dictum fuit falſum.* quæro, qualis ſit propoſitio Socratis, vera, an falſa? Eccius quidem in tractat. de inſolubilibus cenſet, omnem ejusmodi propoſitionem eſſe falſam, quod falſificet ſe per modum ſequelæ. Cæterum, neque veram, neq; falſam illam eſſe, tutò licet

licet asserere. Si enim vera est: E. dicit quod est: dicit autem, proximum dictum Platonis futurum esse verum, at dictum Platonis falsitatis accusat dictum Socratis. Ergò, si Socratis dictum est verum, erit falsum. si verò falsa est illa Socratis, dicet quod non est; dicit autem Platonis proximum dictum futurum esse verum, Platonis autem proximum dictum falsitatis arguit dictum Socratis, E. hoc non est verum sed falsum. si falsum hoc, quod scilicet proximum dictum Socratis fuerit falsum, tùm Socratis dictum fuit verum. Jam à primo ad ultimum, si dictum Socratis fuit falsum, fuit verum. Similiter quæro, quid ad hæc sequentia sophismata sis responsurus, ita quidem ut ad instantias nil facias reliqui:

1. *Animalis proprius effectus est videre,*
Sed aures sunt animalis. E.
Aurium proprius effectus est videre.

2. *Hic canis est pater*
Hic canis est tuus E.
Tuus est pater.

Cui sophismati gemina sunt ista: dicat Thamar ad Judam

Tu es maritus
Tu es meus E.
Meus es maritus.

Quare Thamar non scortata fuit, concubuit enim cum marito.

Item: *Essentia divina est pater,*
Essentia divina est filius E.
Filius est pater.

 Hæc

Hæc omnia insolubilia videntur & nodi quidam gordii, sed solvi tùm possunt, si Alexandri M. machærâ (Logicam puto) utaris.

§. 35. Nam 1. *in genere*. Quæcunque propositiones non sunt orationes enunciativæ ac logicæ, de iis nemo judicare potest,værene ac falsæ sint? sunt inidoneæ omnes ad formam syllogisticam imbibendam; nec audiri prius debent, quàm ex orationibus non logicis fiant logicæ ac enunciativæ. 2. *in specie*, 1. sophisma nullum est, quia propositio illa neque vera est, neque falsa, cum non sit enunciativa, sed optativa, & affectus solùm significativa. At instas, Paulum expresse asseverare, se veritatem dicere Resp. intelligit veritatem ac sinceritatem affectus quasi moralem, non rei. Alteri sophismati eâdem parte genua labant. Illa enim oratio itidem non est logica, sed rhetorica, & figurata, & quidem Ironica, non tamen illusoria, quasi Deus insultaret miseræ, sed correctoria, quâ exprobrat superbiam; Constat enim Deum ridere in interitu impiorum Prov. 1. 26. Reduci tamen ad orationem logicam potest, quod fit, si in verbis & tropis non hereas, sed sensum scruteris. Et quia Ironia fundatur in loco oppositorum, contrarius hic sensus emerget, Adam nequaquam factus est nobis similis. Neq; hoc est mentiri, quia verba illa Ironica nec 1. falsa sunt, ut patuit, neque 2. ad fallendum comparata. Atque hinc est, quod patres dicunt, parabolas non esse argumentatrices. De quibus fusius in bono inter-

interprete. Ad 3. Eodem illud vitio inhabilis materiæ est infame. Nam oratio logica est signum sed non qualecunque, verum doctrinale, tale scilicet quod non seipsum, sed rem extra se aliam, significat, ideò etiam suppositionem materialem supra ad forum grammaticum relegatum ivimus. Ad 4. Illud etiam laborat ineptitudine materiæ logicæ, nam est propositio de futuro contingenti, de quo nō est determinata veritas. sanè si scivisset Socrates, Platonem tàm versutè retorsurum esse, & falsitatis cauterio notaturum id, quod ipse dixerat, fortassis nunquam protulisset. Ut autem propositiones hypotheticę ac infinitæ nō sunt orationes logicæ, quia non dicunt determinatè, quid res sit, vel non sit: ita eodem judicio dimittenda sunt sophismata de futuris contingentibus, quæ non dicunt, quod res sit, vel nō sit, sed quod sit (fortassis) futura vel nō futura, ideò sollicitè Aristoteles urget tempus prę́sens, & modū indicativū. Sic etiam è numero futurorum contingentium est crocodilites ille, cujus originem Doxipater ducit ex fabulâ Ægyptiacâ, in quâ mulier cum filio secundum fluminis ripas ambulabat, crocodilus autem puerum auferebat, redditurum dicens, si verum ipsa diceret, sed quomodo poterat de futuro contingenti? Occurrunt apud auctores adhuc aliæ propositiones seipsas falsificantes, sed quæ aliunde dijudicari debent. Pro exemplo sit 1. illud, quod Petrus Damian. l. 2. epist. 14. affert ex Gellio de Alexandro M. qui aliquando somnians

didicerat, ſomniis non eſſe credendum, id verò ita explicat Lactant. l. 4. de falſ. ſapient. cap. 6. ſi credidiſſet Alexander, tum ſequitur, ut credendum non fuerit: ſi autem nõ credidiſſet, tùm ſequitur, ut credendum fuerit. Nam aut credendum eſt ſomniis, aut non eſt credendum. ſi prius, credendum quoque erit ſomnio Alexandri M. quod nulli ſomnio credi volebat, adeoq; ſi credendum eſt ſomniis, iiſdem non erit credendum; ſi poſterius, ſequitur, etiam ſomnio Alexandri non eſſe fidem adhibendam, id eſt, eſſe credendum ſomniis, non eſſe credendum: ex quo ſequitur, quod credendum ſit, non eſſe credendũ: atque primo ad ultimum, ſi ſomniis non eſt credendum, iiſdem erit credendum. Alterum exemplum miniſtrat Becanus tract. 4. de juſtif. c. 2. n. 12. Calviniſtæ, ait, ſtatuunt, peccatum originis manere in renato, at hoc definiunt per cæcitatem & ignorantiam E. hoc ipſum ignorant, quod ſtatuunt. 3. exemplum ſuppeditat Gregor. l. 22. Moral. c. 10. ad Pſal. 116. v. 2. Omnis homo mendax. Reſponderi, inquit Gregor. Davidi poteſt, ſi omnis homo mendax E. & tu. ſi enim ipſe non es mendax, vera jam ſententia non erit; quia dum tu verax, non omnis homo cognoſcitur mẽdax. Quartum Salluſtius annotavit in Bell. Jugurth. p. m. 66. Adoptaverat Jugurtham Micipſa Rex, hoc defuncto Jugurtha aiebat, oportere quinquennii paterni conſulta & decreta omnia reſcindi, quod per ea tempora confectus annis Micipſa parùm

animo

animo valuerit. Tum idem Hiempsal, minor natu Micipsæ filius, placere sibi respondit; ipsum enim Jugurtham his proximis annis adoptione in regnum pervenisse. Resp. ad 1. tripliciter illud dilemma intelligi posse 1. contrariè, aut omni somnio est credendum, aut nulli 2. subcontrariè, aut cuidam est credendum aut cuidam non est credendū. 3. contradictoriè, aut omni somnio est credendum, aut cuidā non, vel, aut nulli est credendum, aut cuidam. si primum sensum accipias, non habebis dilemma, quia datur tertium, cuidam scilicet credendum esse, cuidam nón. Neque necesse est, alterum contrariorum verum esse, alterum falsum. si secundum, rursus non est dilemma, quia utrumque concessero, quibusdam scilicet somniis esse credendum, divinis scilicet, item iis, quæ, si maximè non contigissent in somno, tamen vera haberentur, quod nitantur certa ratione; Quibusdam non esse credendum, ut diabolicis, ac phantasticis mere; Non enim apud omnes eadem sunt somnia, sed, ut testatur philosophus l. 1. Eth. c. 13, βελτίω γίνεται τὰ φαντάσματα τῶν σπουδαίων, ἢ τῶν τυχόντων. Si tertium concessero, cuidam somnio esse credendum, cuidam non: negavero omni & nulli credendum esse. Ad sophisma igitur respondeo, Alexandrum debuisse credere suo somnio, si de quibusdam somniis id loquatur; fidem autem denegare debuisse, si nullis somniis credendum esse persuaderet. Ergone, inquis, si somnio cuidam est credendum, erit etiam cre-

dendum huic, quod cuidam non sit credendum. Resp. 1. negatur consequentia, si cuidam est credendum. Ergò etiam huic, quia est argumentum à particulari. 2. in materiâ non est vitium, nam & antecedens & consequens simul stare possent: cuidam esse credendum, & cuidam non esse credendum. Ita ex adverso non sequitur, si cuidam somnio non est credendum. E. etiam Alexandri somnio non est credendum. Fieri enim potest, ut Alexander alii somnio fidem deneget, illi verò suo credat non tàm quia somnium est, quam quia in re ipsâ quod verum est repræsentavit. Ad 2. fundatur illud sophisma super hâc consequentia:

In quo est, ac manet, ignorantiâ, is quicquid statuit ignorat.

In Calvinista, statuente in renato manére ignorantiam, in eo manet ignorantia E.

Is quicquid statuit ignorat, statuit autem in renato manere ignorantiam E. hoc ipsum ignorat.

Resp. limitando maiorem, in quo est de rebus supernaturalibus ignorantia totalis, is quicquid de rebus illis statuit ignorat. Maiore limitatâ minor est falsa: neque enim Calvinista statuit in renato totalem insidere ignorantiam, sed successivè dispelli tenebras per lumen verbi à Spiritu S. accensum, hominemque renatum duci de claritate in claritatem. ad 3. vel David loquitur non humano affectu, sed divino afflatu, ut explicat Lorin. sup. h. l. aut in excessu suo, id est, cùm territus fuit agnitione proprii peccati ac iræ divinæ, (ut ex-

plicat

plicat Chemn. in loc. de peccat. orig. p. 218.) adeoque ex affectu illo, quem cum reliquis hominibus habet comunem. si prius, non tam suo quam Sp. S. ore loquitur, Ex quo sequitur, aliàs omninò etiam Davidem esse mendacem, non item in præsenti verbo, quod quasi commodatò dedit Spiritui S. si posterius, tùm intelligi debet non de perpetuò mentiendi actu; obstat enim Apoc. 14. v. 5. sed physica mentiendi proclivitate, quâ ut sine spinis invenire piscem difficile est, ita sine dolo homo vix reperitur, quæ similitudo Architæ est apud Ælian. l. 10. variar. c. 12. Non tamen sequitur, Omnis homo est ad mentiendum proclivis E. David, hoc ipsum affirmans, mentitur; quia à potentiâ ad actum affirmativè non valet consequentia. ad 4. Jugurtha suam sententiam, de rescindendis decretis Micipsæ, intellexit limitate & reduplicativè, scilicet, quatenus illa essent senilia, & à senè imprudenter sancita. Negabat autem ille decretum hoc de se adoptando fuisse imprudens. Sensus orationis ex causis dicendi judicandus est. In cæteris superioribus, ac primùm allatis sophismatis desiderantur nomina & verba logica. Nam quoad 1. constat ejus medius terminus ex casu obliquo, is tamen quomodo rectificari debeat infra ostendetur, in consequentiâ ex casibus obliquis. Reliquos tres parietes eâdem fideliâ dealbare licet. Nam in illis, pater & maritus: item meus & tuus, sunt adjectiva adjectivè sumta, quæ nec subjecti nec prædicati loco

co poni possunt, rectè autem se illi syllogismi habent, si adjectivum concretivè explices, inque (ut vocant) sensu identico, hoc modo:

Canis est canis paternitate affectus
Canis est canis à te possessus E
Quidam canis à te possessus est canis paternitate affectus.

Eodem modo.

Iudas est Iudas maritali vinculo conjugatus
Iudas est Iudas mihi amore conjunctus E.
Iudas mihi amore conjunctus est Iudas maritali vinculo conjugatus (suæ scilicet Vxori, non necessariò mihi.)

Pariter

Essentia divina est essentia paternitate determinata.
Essentia divina est essentia filiatione determinata E.
Quædam essentia filiatione determinata est essentia paternitate determinata. Hinc est, quod quidam respondent, conclusionem se admittere in sensu identico, sed non formali.

CAPUT III.

De tertio sophistarum Epicheremate, quo malâ ac informâ vitiosa consequentia argumentantur.

ARTICULUS I.

De consequentâ in genere, & in specie de formali & materiali.

§. 36. Jam aggredimur tertium sophistarum armamentarium, ex quo tela depromunt venenata

nata, sed cerussâ & suavi specie oblita; vitia intelligo formalia, quibus hujus doctrinæ ignaro imponunt. Cum autem falsum nunquam sequi possit, nisi vel ex falsis præmissis; vel ex veris quidem, at vitiosâ consequentiâ prolatis; ideò duplex est vitium syllogismi; formale & materiale; de posteriori suo loco; de priori nunc. Omne autem vitium formale fit violatione consequentiæ. *Consequentia est oratio* (Ergò ad minimum composita ex duobus pronunciatis, quæ sunt consequentiæ materiale; unde abutuntur hac voce; & à communi doctorum usu abeunt, qui negant consequentiam majoris; cum aliud sit nexus & cohæsio prædicati cum subjecto; aliud consequentia, quâ consequens ex antecedente per notam illativam elicitur) *in quâ ex aliquo aliquid colligitur per notam illativam* (nota illativa est quasi forma consequentiæ, quâ absente non magis consequentia est quàm sine copulâ propositio est propositio) vocatur consequentia à consequente, sicut & syllogismum à συλλογῇ τοῦ λόγου id est, à conclusione deductum mavult Zabar. ad l. 1. post. t. 3. fol. 640. quàm à συλλογῇ λόγων. Et ratio, quia à formâ solet fieri denominatio, sicut & à prædicato prædicatio appellationem habet: consequens vero est forma (etsi non totius consequentiæ, tamen) antecedentis, è quo perinde ut forma è gremio materiæ educitur; ipsum emersit, & quasi fluxit, unde meritò toti consequentiæ nomen dedit.

§ 37. Di-

§. 37. Distinguitur consequentia in bonam & vitiosam, quæ est distinctio æquivoci in sua æquivocata: nam vitiosa consequentia non magis est consequentia, quam virgo deflorata virgo est: unde Aristoteles, quoties significare voluit vitiosam consequentiam, toties dicit, οὐκ ἔσαι συλλογισμὸς: ratio verò est in promptu, quia consequentia nomen habet à consequente, hoc si non fuerit propriè & univocè consequens, etiam consequentia propriè & univocè talis haut nominabitur. Quare syllogismus destitutus consequentiâ propriè non est syllogismus, quia, ut dixi, consequens in eo non est propriè consequens, propriè verò consequens est quod sequitur ἐξ ἀνάγκης eò quod hæc sunt: at verò in hoc (e.g. *Canis currit, podagricus non est canis*, E. *podagricus non currit*) Conclusio est quidem vera, ut propositio, sed non est vera ut conclusio, sive non est propriè consequés, quia ex eo, quod canis currat, aut quod podagricus nón sit canis, non sequitur: Ergò podagricus non currit, cum hæc maior falsa sit: Quicquid non est canis id non currit. Ut verò constet, quæ dicatur bona, aut vitiosa consequentia, duplex indicium suppeditatur à Fonsecâ l. 6. c. 2. 1. *si ex veritate antecedentis, saltem ex hypothesi datâ, consequens verum esse deprehenditur, tunc justa est consequentia*, esto, disceptetur an hæc consequentia sit justa: Asinus volat. Ergò habet pennas? ex hâc regulâ affirmandum erit, quia hæc vera est, si asinus volat habet pennas. Ex quo colligitur, syllogis-

logiſmos copulativos affirmantes nullos dari e. g. Salomon & rex eſt & ſapiens E. Salomon eſt ſapiens; non ſequitur, quia illa hypothetica non congruit: ſi rex eſt, ſapiens eſt; quia Midas rex fuit, & tamen Arcadiâ patriâ dignus. 2. *ſi id quod contradicit conſequenti, repugnat etiam antecedenti, legitima erit conſequentia, ſi ſecus, vitioſa*; & ratio prioris eſt, quod cum aliquo ſtare non poteſt non eius contradictorium ſequi, niſi enim ex hac: omnis homo eſt vivens, ſequeretur hæc: ergò augeri poteſt, tùm eius contradictoria, homo non augeri poteſt, ſtare poſſet cū antecedente: omnis homo eſt vivens, & poſſet dari vivens, quod incremẽti non eſſet capax. Ratio poſterioris (quod ſcilicet in vitio ſit illa conſequentia, in quâ oppoſitum conſequentis ſtare poteſt cum antecedenti) quia duo contradictoria nequeunt convenire eidem, ex quo igitur emanat conſequentis contradictorium, ex eo ipſum conſequens fluere abſurdum eſt, Ergò nulla eſt conſequentia, monachus proficiſcitur. Ergò pluit, quia etiam non pluere ſtare poteſt cum monacho. Additur ab aliis tertia regula. In quâ conſequentiâ antecedens nequit eſſe verum, abſq; veritate conſequentis: illa conſequentia juſta eſt. Quare ſi dicas, omnis ignis eſt calidus, Ergò omne calidum eſt ignis, ſequela nulla eſt, cum antecedens poſſit verum habere, ſi maximè conſequens à veritatis chordâ longè aberret.

§. 38. Altera diviſio conſequentiæ in formalem

lem & materialem magis est propria, quamvis analogica per attributionem; quia consequentia materialis dependet à consequentiâ formali; & ad hanc reduci debet. hinc nota, omnem consequentiam materialem, etsi actu in vitiosâ formâ concludat, tamen virtute esse formalem, secus non esse consequentiam, unde non quæcunque argumentatio in vitiosâ formâ concludit simpliciter est vitiosa. Consequentia formalis est, Fons.l.6 c.2. cujus formam modumve concludendi si retinueris, in quacunque materia etiam impossibili aptè concludas. Dico, etiam impossibili; e.g. Omnis leo est lapis: Omnis equus est leo E. Omnis equus est lapis: in hoc syllogismo nihil minus quàm consequentia neganda est, quia concludit vi huius hypotheticæ: si equus est leo; & leo est lapis, utiq; equus etiam erit lapis. Consequentia formalis ut rectè se habeat, nota 1. *requiri identitatem formæ* seu modi concludendi. 2. *ex parte materiæ quandam habilitatem*. Uti enim ad literas typis exscribendas duo exiguntur 1. materiæ habilitas; cum non fiat ex quolibet quodvis; nec ex quovis ligno Mercurius: siquidem eadem operâ laterem lavaret ille Typographus, qui lapidi aut ligno imprimere charactères conaretur 2. formæ identitas, nam retenta illâ juncturâ, sive ideâ, quâ exẽplar aliquod à Typothetâ descriptum est, in omni materiâ chartaceâ aptè excudere licet, secus, si mutes æra typographica; necessum est etiã variari typum: ita etiam

formæ

formalis consequentia duo postulat 1. *materiæ aptitudinem*; materia verò sunt propositiones; quas 1. logicas esse oportet, aut certè ad logicas reducibiles. Nam si sint orationes grammaticæ, vel rhetoricæ, vel in genere non enunciativæ, non sunt justa syllogismi formalis materia. Non igitur mirum est, sæpe sequi ex vero falsum, si tales orationes syllogismo admisceantur. Quare nulla argumentatio, constans ex propositionibus non logicis, ante admittenda fuerit, quàm ex logicis propositionibus & orationibus enunciativis sit conflata. Ergò 1. syllogismi ex casibus obliquis sunt rectificandi. Exempla proposita sunt supra; Idem etiam statuendum est de syllogismis hypotheticis, quarum propositiones non sunt logicæ. Eodem modo propositiones in syllogismis κατὰ πρόσληψιν per assumtionem, cujusmodi sunt hi: qualis Rex, talis grex, Rex est impius; E. etiam grex. Ubi thesaurus Christianorum, ibi cor eorũ; sed thesaurus Christianorum est in cœlo; Ergò: Prior constat ex majore comparativa, alter ex relativâ. Aliter inverti debent, si logicam formam sibi imprimi velint, mutando terminos concretos in abstractos, & diligenter inquirendo casus rectos; e.g. qualitas Regis est qualitas gregis, Impietas est qualitas regis, E. &c. item proportio 2. ad 4. est proportio 3. ad 6. proportio dupla est talis proportio, &c. Ille locus, in quo est thesaurus Christianorum, est locus, in quo est cor eorundem; sed cœlum est ille locus, &c. Hæc multis so-

phismatis solvendis facem adlucent. Nam regulæ logicæ de formali consequentiâ intelligendæ sunt, si justa subsit materia, secus non mirum est, ex vero sequi falsum. 2. requiritur formæ identitas: nam quamvis in omni materia, etiam impossibili, locum obtineat formalis sequela, tamen id non facit, nec ex veris semper verum elicit, si forma argumentandi violetur, id ne fiat, in singulis consequentiis ab industriâ logicorum cautum est certis regulis. Dutrieu pag. 105. monet argumentationes similis formæ esse, quæ constant 1. æquè multis terminis (addo &) pro eodem supponentibus, e. g. in his non est eadem forma argumentandi, animal sentit, Ergò homo sentit: animal est genus, E. homo est genus. 2. eodem ordine dispositis. 3. æquè multis propositionibus eâdem quantitate & qualitate constantibus, quibus addo identitatem copulæ; Alia enim est in syllogismis simplicibus, alia in cõpositis: proinde si quis ex eo, quod conclusio semper sequi debeat partem debiliorem, arguere vellet, in syllogismo disjunctivo ex assumtione negante non rectè inferri conclusionem ajentem, ineptè is facturus esset, cum mutetur formæ identitas.

§. 39. Ita si se habeat consequentia formalis, id est, si ei sit subjecta materia logica, deinde, si canones sive regulas consequentiarum nullâ parte lædat, semper, & in omni materiâ ex vero elicit verum, neq; *unquam ex vero potest sequi falsum*, ut testatur Aristot. lib. 2. prior. anal. cap. 2. idem quoque

que probatur rationibus. 1. si in antecedenti ponuntur duo termini, qui non repugnant cum medio, Ergò nec in consequenti repugnant inter se, vi illius, quæ sunt eadem uni tertio, &c. est hæc Fr. Murciæ disput. 4. sum. q. 2. 2. effectus non potest toto genere esse deterior caussa sua, præsertim, cum veritas sit una & simplex; unde de se non nisi verum parturit. 3. si posset ex vero sequi falsum, tunc posset ex eodem sequi suo justo consequenti contradictorium, at sic non amplius esset consequentia. 4. potissimùm verò idem demonstratur à posteriori, quia nunquam compertum est, ex vero secutum fuisse falsum, si regulæ consequentiæ fuerunt observatæ. At verò ex falso sequi verum non rarò, constat exemplorum inductione. Sequitur autem aliter ex vero verum, aliter falsum, illud διότι per se, & tanquam effectus ex caussa, hoc ὅτι, l. 2. prior. cap. 2. per accidens, fortuitò. Hoc principium (ex veris nil nisi verum sequi.) insignem habet usum. Uti enim apud Celtas olim, & cæteros Germanos nascentes

—— exploravit gurgite Rhenus.

Ita syllogismi boni sint, an nothi, hâc regulâ dignoscitur. Quandò itaque quæritur: ex puris particularibus cur nihil sequatur? respondebitur, ideò nihil sequi, quia ex his quantumvis veris aliquando potest sequi falsum, quod indiciũ est malæ consequentiæ. Consectarium est, ineptè concedi præmissas, & tamen negari conclu-

 sionem

ſionem. Si enim ex veris nil niſi verum fluit, ſanè ſi negare velles concluſionem admiſſis præmiſſis, deficeres à rationali, inquit Mendoza, diſput. 10.Log.ſ.10. Quanta enim ineſt neceſſitas Arithmeticæ ratiocinationi ; qua poſitis his duobus $\frac{243}{125}$ ſequitur 368. tanta quoque ineſt ſyllogiſmo ; qui germanicè propriè ſignificat eine Rechnung.

§. 40. Conſequentia materialis eſt, quæ aſſumta ſimili materia in eadem formâ ſemper aptè concludit: materia autem dicitur ſimilis, quando idem eſt terminus inferens, idem illatus, idem communis. Dutrieu tr.4. p.1. c.1. art.2. idem ſcilicet non reipsâ, ſed quoad eandem utriuſque habitudinem, e.g. animal eſt ſenſitivum, homo eſt ſenſitivus, Ergò homo eſt animal, eſt conſequentia materialis (non formalis quia ἀσυλλογιστία) nam in ſimili materiâ etiam aptè concluditur, ut homo eſt rationalis, Philoſophus eſt rationalis, E. Philoſophus eſt homo: materia ſimilis eſt, quia quæ eſt connexio animalis & ſenſitivi, eadem eſt hominis & rationalis, & ut homo eſt ſub animali, ita Philoſophus eſt ſub homine. Quæ quidem omnia declarari poſſunt famosâ illâ controverſiâ de ſyllogiſmo illo expoſitorio:

Quorum Deus Deus eſt, illi vivunt, & non ſunt mortui.
Deus eſt Deus Abrahami, Iſaaci, & Iacobi. E.
Abraham, Iſaac, & Iacob vivunt, & non ſunt mortui.

Hic ſyllogiſmus ita propoſitus non habet conſe-

quen-

quentiam formalem, 1. quia sunt quatuor termini. Nam medius terminus, qui in majori in subjecti sede locatus est (illi quorum Deus Deus est) at in minore is non reperitur, sed alius aliquis, nimirum nudè (Deus) qui pro subjecto minoris habetur. 2. quia minus est in conclusione, quâm erat in præmissis, & determinatio seu casus prædicati reperitur pro ipso prædicato, 3. quia hæc argumentandi forma in aliâ materiâ eodem modo propositâ non obtinet, e.g.

Quorum Alexander Rex fuit, illi fuerunt Macedones,

Alexander Rex fuit Persarum. E.

Persæ sunt Macedones. En ex vero falsum.

Nihilominus iste syllogismus habet materialem consequentiam, quia quamvis non in omni, tamen in simili materiâ, semper ex vero verum elicit; similis autem materia est, quæ eodem modo majorem habet exclusivam, etsi non actu, tamen virtute. Pro majore enim substituere integrum est, illam, *Quorum Deus est Deus, illi solum vivunt*, siquidem ex oppositione rectè infertur exclusio, cujus exclusivæ virtute conclusio rectè sequitur. Qui igitur fit: quod in altero argumento sequatur falsum? ideò quia non est similis materiæ. Si enim hanc ponere liceret majorem, *Quorum Alexander rex est illi sunt Macedones, & non alii populi, seu illi solum sunt Macedones,* tùm certè, si Persarum Rex esset, necessariò etiam Persæ essent Macedones. Cum autem consequentia materialis con-

ſequentia ſit, & verò abſurdum ſit conſequentiam juſtam dari, quæ tamen ſyllogiſticæ formæ non ſit capax, quippe forma ſyllogiſtica veritatem non impedit, ſed ubicunque eam invenit, promovet; at invenit in conſequentiâ formali: ideò omnis materialis conſequentia eſt etiam formalis virtute & potentiâ, quæ potentia hoc modo in actum deducitur, efficiendo propoſitiones logicas:

Illi, quorum Deus eſt Deus, vivunt, & non ſunt mortui.

Abraham, Iſaac & Iacob ſunt illi, quorum Deus eſt Deus, E.

Abraham, Iſaac & Iacob vivunt, & non ſunt mortui.

Antequam hinc abeamus, placet quæſtionum quarundam ſolutione ulteriorem huic materiæ lucem affundere.

§. 41. 1. Ex quâ conſequentiâ concludat hoc argumentum: Prophetæ dixerunt Chriſtum venturum, Ergò venturus eſt: 2. An dentur argumentationes, quæ nec formalem nec materialem habent conſequentiam? 3. An ſyllogiſmus formaliter bonus poſſit ex falſis colligere? 4. An non modus Darapti aliquando ex vero eliciat falſum? 5. An conſequentia materialis rectè diſpeſcatur in neceſſariam & contingentem? His diſcuſſis, omnes procul dubio obſcuritatis nebulæ diſſipabuntur. Reſp. ad 1. videtur, quod nec formalis ſit nec materialis, non illa, quia non ſequitur: hoc dictum eſt, Ergò erit: non hæc, quia con-

consequens est falsum; Christum enim esse venturum, scilicet in carnem falsum est. Contra, est & formalis & materialis: illa, quia sequitur (non) absolutè dictum est, Ergò erit, quæ πρόσθηκιν in integro syllogismo in majori non est insuper habenda: hæc, quia consequens non est falsum, si sumatur cum ampliatione, Ergò vel venit, vel venturus est. Resp. 2. omninò dari, sed quæ æquivocè solùm sint argumenta, in quibus quicquid tetigeris ulcus sit, e.g. Asinus est quadrupes. Homo non est asinus, E homo non est quadrupes, consequentia non est formalis, quia minorem negat in primâ figurâ; non materialis, quia in simili materiâ ex vero falsum elicit, ut: asinus est auribus præditus: homo non est asinus, E. homo non est auribus præditus. At instas, conclusio tamē vera ex veris præmissis infertur. Resp. Omnis consequentia ex veris verum infert, sed non in quacunque argumentatione ad veras præmissas sequitur vera conclusio, ea illicò justa cōsequentia est, quia aliud est sequi vi formæ, aut vi materiæ, eò quod hæc sunt, ἐξ ἀνάγκης, aliud sequi solum eventualiter, & per accidens, ubi conclusio quidem vera sequitur, sed non propter præmissas, ut dies sequitur auroram, & sanitas vulneris purulentiæ remotionem sequitur: sed non propter illam, quia aliud est sequi ut ex antecedenti, aliud ut ex causâ fluere. Resp. 3. Ex falsis sæpe falsum, vel etiam verum, sub legitimâ formâ sequi, æquè notum est, atque tùm muscatum esse plurimum.

mum, cum caletur maximè: Unde non satis est respondisse ad formā, sed oportet etiam materiam examinare. *sed instas*, syllogismum, vel consequentiam in genere, esse instruēmtum veritatis, ab eo igitur falsitatem potius debere impediri, quàm juvari. Resp. potest aliquid esse non quidem contra usum alicujus instrumenti, nec secundum, sed præter ejus usum, ad quem natum aliàs erat; cultri cibicidæ usus per se est, partiri cibos, contra ejus usum est, secari eo lapides: præter usum, eodem ligna findi. Ita contra syllogismi formalis usum est, colligere ex veris falsum, secundum ipsum est, elicere ex veris verum, uti rectè cōcludit argumentum: quod si verò à sophistâ accommodetur ad falsi extructionem, id est, præter ejus usum, & per accidens; Nam quælibet forma est in suâ determinatâ materiâ, ad aliam informandam si referatur, id illi est fortuitum: neque magis id vitio vertendum est syllogismo, quàm reprehendi vinum potest, quod instrumentum ebriositatis ab helluone factum sit, aut rosa, quod ex eâ venenum aranea bibat. Resp. 4. Quarta objectio specialem & satis arduam habet difficultatem. Nam modum Darapti extirpandum esse ejus canities non permittit, & tamen exempla sunt in promptu, quibus in hoc modo ex vero potest sequi falsum. Indigna tali parente soboles pro exemplo sit quod sequitur.

Omnis homo physicus est sciens.
Omnis homo physicus est homo. E.
Quidam homo est sciens.

Major

Major & minor sunt necessariæ,& per se veræ: at conclusio est contingens, & possibilis esse falsa: si nempe contingeret (quod contingere non repugnat) ejus contradictorium, Nullum hominem esse de facto scientem. Eadem difficultas suboritur in conversione per accidens, in quâ formaliter ex vero semper elicitur verum: At obnunciant exempla, quæ ex necessariò verâ contingentem pariunt. *Quis enim*, inquit Stengel. p. 2. de Syllog. bono & malo, §. 28. *vel somnians non intelligit, etiam omnibus omninò dormientibus, tamen verissimam esse hanc, omne quod vigilat est animal; At si omnibus omninò somno sepultis inferre velis, Ergò aliquod animal vigilat, omnes, tam vocaliter clamante falsimoniâ, è somno excitabis.* Item: *si nullus in nive candor, in cygno nix, aut nullus cygnei nominis color in toto terrarum orbe existeret; si omnia corvis carbonibusq; nigriora essent in toto hoc universo, tamen vere philosophiceq; diceres, omne subjectum de facto album est corpus, at eodem rerum statu vultuq; permanente, ne quaquam tibi dicere liceret, aliquod corpus esse subjectū de facto albū, inciperent enim reclamare omnes homines in Æthiopē deformati, omnes aves in corvū picti, omnes lapides & cætera res in carbonem pullata.* Hactenus Stengelius.

§. 42. Vindicandus igitur est modus Darapti & conversio per accidens. Respondent aliqui 1. ad Darapti per limitationem, ex ambabus necessariis sequi cōclusionem necessariam, tùm, si sint necessariæ, tàm quoad connexionem subjecti cum prædicato, quàm vice versâ prædicati cum

ſubjecto, hoc eſt, ſi ſint catholicæ. Nam, inquiunt ſi ſubjectum non ſit neceſſarium prædicato, quid mirum contingentem ſequi? 2. converſionem per accidens vindicant, inficiando, converti poſſe enunciationes, quæ utrinq; æqualem neceſſitatem non obtinent, quia converſio non tàm arctâ neceſſitate conjungatur cum enunciatione, ut ſit proprietas, quæ omni omninò converſioni æternâ pertinaciâ conveniat: pro confirmatione allegant enunciationes negativas particulares de ſubjecto ſingulari, & prædicato communi, quæ à converſione abſolvuntur; Darentur enim cõverſæ veræ, convertẽtibus falſis, e.g. aliquis philoſophus non eſt Socrates, Ergò Socrates non eſt Philoſophus, videatur Fonſeca l. 3. c. 8. Verum enim verò quid hæ reſponſiones ex formâ & regulis logicis aliud faciunt, quam regulam Lesbiam, quæ in materiâ curvâ curva, in rectâ recta ſit, adeoq; ubique ſe accommodet? ſiquidem formalis conſequẽtia non eſt, quin in omni materiâ obtineat. In ſpecie verò, prima reſponſio coarctat formalem conſequentiam ad ſolas demonſtrationes, conſtantes ex propoſitionibus catholicis, ſupra verò demonſtratum eſt, formalem conſequentiam etiam poſſe habere objectum falſum, immò impoſſibile; cur igitur non poſſit inferre ex materiâ neceſſariâ, etſi non catholica? Secunda reſponſio infantem cum ſordibus ejectat, quin potius, ſi ex vero per ſe verũ ſequitur, Ergò ex omni

vero

vero, Ergò etiam ex necessariò vero necessario verum inferri potest: Cur enim, quia unum aut alterum exemplum sophisticè tractatur, ipsa regulæ universalitas restringenda sit? anne ideò, quod homines maleferiati peccant, eos à legibus princeps excipi jubet? *verior igitur responsio est*, quod τὸ EST aliquando notet solùm identitatem prædicati cum subjecto, quod est in propositionibus quæ sunt æternę veritatis, aliquando existentiam involvat, ut in propositionibus contingentibus, in quibus τὸ EST, non est nudè copula, sed implicat prædicatum, quod est participium, existens, unde inepta hæc fuerit conversio, piscis est in fluvio, E. fluvius est in pisce, sed resolvendum erit τὸ EST, & conversio hoc modo instituenda, E. quoddam existens in fluvio est piscis. Nunc ad rem præsentem, quis non videt in syllogismo supra allato quatuor esse terminos? si τὸ EST conclusionis resolvas in participium existens: Unus enim terminus est (homo physicus) alter (sciens) tertius (homo), quartus existens sciens). Sed instas, hic syllogismus justus est

Omnis homo physicus est sciens.
Quidam homo est Physicus. E.
Quidam homo est sciens.

At cur non & ipse damnatur ob quatuor terminos, quia in illo minor involuit existentiam? Resp. medius terminus est (non nudè τὸ physicus, sed) existens physicus, cum quâ additione si proponatur in majori, nihil in eo desiderari potest,

sine

ſine eâ ſi efferatur, formaliter non concludit, etſi materialiter. Similiter converſio per accidens ut rectè colligat, requirit eandem argumentandi formam, quæ non ſervatur, ſi ſuppoſitio vel ampliatio variet in conſequenti: ſi τὸ eſt involvit exiſtentiam, eandem & involvere oportet in antecedente, aliàs quid mirum ſi nihil ſequatur? Ergò antecedens, converſa ſcilicet, vel ſumitur amplè, ut includat omnes vigilantes etiam poſſibiles, hoc ſenſu omnis vigilans poſſibilis etiam eſt animal, quod ſi nunc convertens accipitur ſtrictè pro ſolis exiſtentibus, tùm una propoſitio habet ampliationem, altera ſtatum, quæ diverſitas impedit formalem conſequentiam. Vel certè antecedens ſumitur ſtrictè pro ſolis exiſtentibus, & tunc aut cum hypotheſi aut abſolutè enunciatur; ſi illud; utraque erit vera, e.g. Omne vigilans, ſi vigilet, eſſet animal, ſi exiſtat. Et quoddam animal ſi exiſtat vigilare, ſi ſcilicet actu vigilet. ſi hoc; tum nihil mirum eſt oriri fallaciá, quia fraus facilius occultatur in propoſitione abſolutè poſita. Et rurſus contingens eſt, quoddam animal vigilare. Ad confirmationem reſpondetur, particularem negativam de prædicato ſingulari ideò non converti per accidens, ſicut univerſalis negativa converti poteſt, quia, cum univerſalis negans diſtribuat & terminos, & quantitatem propoſitionis, particularis negans negatione poſtpoſitâ ſolum prædicatū diſtribuit, inde fit, ut nihil ſequatur. Si enim maximè aliquis philoſophus non eſt

Socra-

Socrates, cur ideò Socrates non ſit philoſophus? ut ſi diceres, Nullum philoſophum eſſe Socratem, rectè quoque inferre liceret, nec Socratem eſſe Philoſophum.

§. 43. Supereſt adhuc quinta controverſia; quæ & ipſa difficilis eſt. Omnem enim conſequentiam aſſerere neceſſariam, dogma eſſet muſteum, & in peripato antehac inaudit; Rurſus, conſequentia contingens videtur implicare, quia conſequentia nominetenus ſolum conſequentia eſt, in quâ contradictorium conſequentis ſtate poteſt cum antecedente: at id poteſt in conſequentiâ contingenti: cit: pallet, ergò amat. Pro deciſione tamē advertendum eſt, alium eſſe ſcopum dialectici, alium analytici: illius enim meta eſt opinio, hujus ſcientia, diverſis igitur etiam mediis ad hunc finem collineant, ille conſequentiis probabilibus; hic neceſſariò ſtringentibus: Ex quo patet, dari conſequentiam aliam neceſſariam, aliam contingentem: regulæ autem conſequentiæ ſupra ex Fonſecâ recitatæ in hoc diſſerunt, quod prior ſit generalis, & normet tàm topicam quàm analyticam conſequentiam. ſic enim ſe habet, ſi ex veritate antecedentis, ſaltem ex hypotheſi data, conſequens vera eſſe deprehendatur, tunc juſta eſt conſequentia: uti verò dantur propoſitiones hypotheticæ probabiles, ut exemplis declarat Fonſeca lib.3.cap.15. quales ſunt eæ, quæ ex futuris contingentibus colligunt, ex.gr. ſi diligenter libris operam dabis, evades vir doctus:

ita

ita etiam concedendæ consequentiæ materiales contingentes. Posterior Fonsecæ regula est specialis & analytica, estque norma solùm consequentiæ necessariæ.

ARTICULUS II.

1. De consequentiâ in specie ἀσυλλογίστῳ.
2. De consequentiâ versionis.
3. Unà cum suis sophismatis.

§. 44. Consequentia formalis subdividitur in ἀσυλλόγιστον (non quia vitiosa est, sed quia sine medio termino aliquid infert) & συλλογιστικὴν: Cujus prima species esto consequentia conversiva, à qua libenter incipimus, quia in ea omnia sunt evidentiora, quæ de hujusmodi consequentiis sunt pernoscenda, eodem consilio Aristoteles visum præposuit reliquis sensibus. Conversionis doctrinam interpolatores quidam Ram. lib. 7. schol. c.4. Beurhus. part. 2. pag.184. Buscherus in harm. p.279. rejiciunt, sed rejiciendi potestatem sibi sumunt sine populi suffragio: Quid enim? si maximè nec ad syllogismorum imperfectorum reductionem, nec ad struendas consequentias, nec ad potestatem plura concludendi hæc doctrina faceret, tamen, quia in illa frequenter nidulantur sophistæ, nobis esse deberet commendatissima: de qua rectè usurpare possis illud Varronis apud Gellium, voluptas, ajentis, vel utilitas talium disciplinarum in post principiis

piis existit, cum perfectę absolutęq; sunt: in principiis verò ipsis ineptæ & insuaves videntur. Sed valeant Ramæi, quos mori simus si moremur. Initiò verò monendum est, non eandem esse ἀντιστροφὴν relativam, aut reciprocationem proprii cum subjecto, de quâ Porphyrius in Isagoge, cum conversione de quâ in præsentiarum agimus: quæ definitur, quod sit affectio enunciationis, quâ extrema propositionis permutantur salvâ qualitate & veritate. Ejus species duæ sunt, conversio *simplex & per accidens*. Meminit quidem Aristoteles libr. 2. Top. cap. 3. alicujus conversionis per contra positionem, sed quia de eâ non agit in propriâ sede, verùm in Topicis, ideò qua parte est utilis, ad aliquem locum dialecticum commodè referri potest, præeunte Philipp. Dutrieu, tract. 3. part. 2. c. 2. art. 1. præsertim cum propriè dicta conversio mutet extrema solùm quoad situm, illa verò quæ est per contra positionem, omninò terminos mutet, faciendo ex finitis infinitos. Conversionis artificium his vulgò versiculis ostenditur

fEci simpliciter convertitur: EvA per accid.
AstO per contrap. sic fit conversio tota.

Item,

EccE tIbI simp. ArmI gErOs Acc. ArmA bOnO contra

Vel ut omittatur contrapositiva.

EccE tIbI simplex, ArmIgErOsque per acc.

Duo priores versiculi ostendunt indolem conver-

versæ

verſç;ſive præjacentis, poſterior aperit modum & artificium ipſum converſionis; & docet E & E, id eſt, univerſalem negantem in univerſalem negantem mutari debere &c.

§. 45. Igitur converſione ſimplici convertitur 1. E in E. Unde ab univerſali negante ad univerſalem negantem converſam valet conſequentia. Probatur 1. *ratione*; quia ſignum negativum diſtribuit omnia ſequentia. Nam qui aſſerit nullum hominem eſſe leonem, ille aſſerit, nec hunc nec illum, nec quemvis alium hominem eſſe leonem; item ratione prædicati, hominem nec eſſe hunc leonem, nec illũ, nec iſtum, nec quemcunque alium (quâ de re conſuli debet ſuppoſitio diſtributiva) qui verò affirmat, omnem hominem eſſe animal, (cum ſignum non diſtribuat prædicatum) non ideò affirmare poteſt; hominem eſſe & hoc, & illud, & quodvis aliud animal, proinde etiam nõ licet dicere; omne animal eſſe hominem; hinc materialis ſolùm conſequentia eſt, ſi ex eo, quod omnis homo ſit riſibilis, inferas; omne riſibile eſſe hominem, quia in ſimili formâ non ſequitur: Omnis talpa eſt cæca E. omne cæcum eſt talpa 2. *ex principio contradictionis*, ſi hâc exiſtente verâ nullus homo eſt beſtia; illa poſſet eſſe falſa; nulla beſtia eſt homo; tum vera eſſet ejus contradictoria, quandam beſtiam eſſe hominem, ſi hæc vera, tùm vera quoque erit illa; quidam homo eſt beſtia, quâ exiſtente verâ illam primam, Nullus homo eſt beſtia, quæ huic contradicit;

dicit; necesse est esse falsam Ergò incipiendo à primo ad ultimum, si illa prima vera est, est falsa; quod ἀδύνατον. 2. eadem conversione simplici mutatur I in I Ergò à particulari ajente ad particularem ajentem V.C. probatur itidem 1. *ratione*; si enim prædicatum convenit ex parte subjecto; ad minimum etiam ex parte subjectum cōveniet prædicato propter unionem ipsorum. 2. *expositione*, dato enim aliquo homine qui sit animal, argumentari licet, hic est homo: hic est animal; E: quoddam animal est homo. 3. ex *principio contradictionis*. Nam pone fis, hanc veram esse: quidam homo est rusticus, falsam illā: quoddam rusticum est homo; tunc hujus utique contradictoria erit vera, quæ est: nullum rusticum esse hominem: jam vi conversionis hæc etiam erit vera; nullum hominem esse rusticum; quæ si vera sit, falsam illam primam esse necesse est: quendam hominem esse rusticum; Ergò, à primo ad ultimum; si vera est hæc: quidam homo est rusticus; dum interea ejus convertens sit falsa, si, inquam, vera est, erit falsa.

§. 46. 3. Conversione per accidens mutatur A in I. Ergò ex universali ajente conversâ fluit particularis itidem ajens. Probatur 1. *ratione*, quia affirmatio infert unionem, quæ saltem est ex parte, si non ex toto. 2. *ex contradictione*. Nam si hæc: omnis homo est animal, vera est, falsa illa quoddam animal est homo, tum vera erit hujus contradictoria: nullum animal est homo, Ergò & vi conversionis nullus homo erit animal; Ergò &

 qui-

quidam homo non est animal, hæc si vera sit, falsa erit illa: omnis homo est animal. Nunc, inchoando à primo ad ultimum, si prima illa propositio est vera, erit falsa. Dicitur hæc conversio per accidens, vel rectius, κατ' ἄλλο, quia mediatè sequitur; nam cum ad istam universalem, omnis homo est animal, subsumere liceat, quendam hominem esse animal, mediâ conversione simplici ad eandem potest assumi, quoddam animal esse hominem. 4. Conversione per accidens mutatur E. in O. Ergò ab universali negatâ conversâ ad particularem negantem convertentem valet consequentia. Probatur *ex Principio contradictionis*; nam si hâc, Nullus homo est equus, existente verâ, falsa illa esse posset, quidam equus non est homo, tùm hujus contradictoria esset vera, omnem equum esse hominem, si hæc verá, utique & ejus particularis stabit, quendam equum esse hominem, & rursus, quendam hominem esse equum, hoc stante, falsum erit illud, nullum hominem esse equum: unde à primo ad ultimum, si illa prima vera est, non erit vera. Quæ omnia pensiculatius proponere placuit, ne, si quis sophismatis hîc peccantibus oppugnetur, rationem habeat tergiversandi, & iram, quam debebat suæ ignorantiæ, in logicam effundat.

§. 47. Nunc sequuntur sophismata, quibus prohibendis cautelæ & regulæ certæ in medium sunt afferendæ. 1. *Totum prædicatum debet converti in locum subjecti, & contra.* Nam quicquid de prædicato

cato convertitur in sedem subjecti, id vel est prædicatum sine casibus sive determinationibus: vel casus sine justo prædicato: vel prædicatum cum suis casibus; si 1. conversio vitio nullitatis laborat; ideò, quia non est prædicatum integrum: at prædicatum integrum debet converti: si 2: ideò improbæ monetæ est; quia termini logici sunt convertendi, at casus non sunt verba logica, si 3. tùm justa demùm erit permutatio. Paralogismi igitur sunt hi

1: ex prædicato sine casibus

Nullus cæcus naturaliter; fit videns: Ergò
Nullus videns naturaliter, fit cæcus

2: ex casibus sine prædicato

Nullum dolium est in vino; E. nullum vinum est in dolio:
Nullus senex erit puer E. nullus puer erit senex:
Aliquis homo (*excandescens in metu*) incipit esse albus E: aliquod album incipit esse homo, num verò qui metu albescit tùm primùm nascitur?

item

Aliquis homo (excandescens in ira) desinit esse albus, E. aliquis albus desinit esse homo?

Facilis nunc est responsio; ad 1: esse vitium in formâ, quæ; ut in omni materiâ obtineat, requirit mutationem integri prædicati cum omnibus suis casibus. Sed vitium est non insanabile, sic igitur emendabitur: Nullus cæcus naturaliter fit videns; Ergò nullus qui fit videns, naturaliter est cæcus: ad 2. prædicatum quia omissum est ex-

presſè eſt ponendum, nam in *vino* non eſt prædicatum, ſed prædicati caſus: prædicatum verò eſt participium *exiſtens*, quo expreſsè poſito medela eſt facilis; *Nullum dolium eſt in vino* E. *Nullum exiſtens in vino eſt dolium*, vel, ſi obliquos retinere malis, ita invertes: *Ergò in nullo vino eſt dolium*. Eodem modo juvari etiam, de ſene quod affertur, poteſt: Quamvis enim & reſponderi poſſit; propoſitiones illas non eſſe logicas, quia non ſunt de præſenti, quam rationem etiam ſecurus ſum alibi ſyllog.3. can 1. tamen reſpondetur facilius, negando conſequentiam, quiā totum prædicatum ſubjecti vicē non ſubierit. Nam in hâc: Nullus ſenex erit puer; prædicatum non eſt puer, ſed erit puer, eo verò reſoluto in participium facilius cõvertitur, quā rota figuli, hoc modo. *Nullus ſenex eſt eriturus ſeu futurus puer* E. *nullus futurus puer eſt ſenex*. Eodem modo corrigetur tertium exemplum, *aliquis homo incipit eſſe albus* E. *aliquod incipiens eſſe album eſt homo*. nam τὸ albus non eſt nomen, ſed adjectivum adjectivè ſumtum. Eadem cautela in modalium quoq; converſione obtinet, in quibus modi ſunt caſus ſeu determinationes prędicati, adeoq; cum prædicato ſimul convertendi; ut ita in vitio ſint hæ cõverſiones: Omnis logicus neceſſariò eſt homo E. quidam homo neceſſariò eſt logicus, quod falſum: pro quo dicendum fuerat E. quidā, qui eſt neceſſariò homo; eſt logicus: ſicut in ſimili inepta eſt hæc ſequela: Fides juſtificat abſque operibus E. quoddam juſtificans eſt fides abſque operibus

tibus. Ita, Tantum animal ſentit, non ſequitur, E. quod ſentit tantum eſt animal, ſed, quicquid tantùm ſentit eſt animal. Item Omne animal eſt irrationale præter hominem E. quoddam irrationale eſt animal præter ſeu excepto homine: cum rectius convertens ſic proponeretur E. Quoddam irrationale præter hominem eſt animal.

§ 48. II. Cautela, *Eadem ſervanda eſt argumentandi forma, quare eadem ſuppoſitio, eadem ampliatio:* Exempla, quæ à perpendiculo hoc abeunt, ſunt 1. in *ſuppoſitione.* 1. aliqua ſpecies eſt homo E. aliquis homo eſt ſpecies, at Johannes eſt aliquis homo, Ergóne ſpecies? Nullus homo eſt totum in quantitate, E. nullum totum in quantitate eſt homo, &c, quod omnium minimè expeditum eſt 3. Nullus equus eſt neceſſarius ad equitandum, quia ſi omnes equos in univerſo mundo ſpectare contingeret, de ſingulis utiq; aſſerere poſſes, nec hunc equum eſſe neceſſarium ad equitandum, nec illum nec iſtum &c. Quî igitur fit, quod ejus convertens falſa ſit? nullum, ſcilicet neceſſarium ad equitandum, eſſe equum: quid igitur ad equitandum poſtulabitur, ſi ſine equo equitare poſſis? Item nullus Thalerus tibi debetur, quod verum, ſiquidem cui debeo thalerum, nec hunc debeo, quia dare poſſem alterum, nec illum, quia dare poſſem hunc, &c. Ergóne inter ea, quæ tibi (juſto debitori) debentur, thalerus nequaquam numerabitur? 2. In ampliatione 1. nullum combuſtum eſt domus, Ergóne nulla domus eſt combuſta?

busta? 2. aliquis homo est mortuus, Ergóne aliquod mortuum ex gr. cadaver est homo? sed nec hæc remoram injiciunt consequentiæ conversivæ: nam Resp. ad suppositionis fallacias, ad 1. mutatur genus suppositionis, nam præjacens supponitur simpliciter, sequens verò personaliter, ad 2. non uno vitio illud exemplum est infame, nam primò, præjacens est singularis ajens: *singularis*, quia in eâ homo supponitur simpliciter, siquidem tale quid de eo prædicatur, sub quo non licet descendere; *ajens*, quia τὸ nullus nō est signum quantitatis, sed pars subjecti, neq; enim de homine negatur, quod sit totum in quantitate, sed de nullo homine, id est, de homine modificato per signum (nullus) affirmatur, quod sit totum in quantitate: consequens verò est universalis negans, at ineptè singularis affirmans permutatur cum universali negante: deinde suppositionis genus variatur, nam in priori subjectum supponitur simpliciter, in posteriori & subjectum & prædicatum accipiuntur personaliter & distributivè: ad 3. si subjectum utriusq; (conversæ & convertentis) distributivè accipiatur, tùm utraque propositio erit vera & plana; verè enim in sensu distributivo asseritur, hic equus non est necessarius ad equitandum, & ille equus non est necessarius ad equitandum &c. rursus verùm est, hoc necessarium ad equitandum non est equus, &. illud necessarium ad equitandum non est equus. si 2. subjectum utriusque accipiatur in sensu *copulato*
est

est falsa, quia falsum est, nec hunc, nec illum, nec istum &c. equum ad equitandum exigi, & vice versâ, erroneum est, asserere nec hoc, nec illud, nec istud necessarium ad equitandum esse equum; quod *si tertio sensum distributivum cum copulato* confundas, id est, genus suppositionis mutes, quid insolens est, si abortus nascatur? Eodem emplastro etiam sanatur vulnus de thalero. Ad *ampliationis* exemplum primum: si cum ampliatione accipiatur utraq; (convertens & conversa) à veritatis chordâ dissonat e.g. nullum mortuum, id est nihil quod vel actu moritur, vel certè mortuum fuit, est homo, id quod æquè falsum est, ac illud, nullum hominem esse mortuum: si sumatur absque ampliatione de tempore solùm præsenti, utraque est vera, quia mortuum & homo rectè & verè de se invicem negantur: similiter in altero exemplo, si propositiones illæ sumantur in statu, sine ampliatione, utraq; est falsa, quia mortem conjungunt cum homine, & de ente enunciant non ens; si accipiantur cum ampliatione, utraque est vera, hoc modo, aliquis qui est, aut modo ante fuit, homo, est mortuus, Ergo aliquod mortuum est aut fuit homo. Quod si autem una sumatur in statu, altera in amplitudine, forma consequentiæ mutatur.

§. 49. III. Cautela specialis, 1. *conversione simplici nec universalis affirma*[illegible] *..niversalem affirmantem, nec particularis neg*[illegible] *in particularem negantem converti potest*, ratio, quia compertum est,

 hos

hos modos patrocinari vitiosis consequentiis, ludibrium igitur debent hæ sequelæ: Omnes electi sunt vocati E. omnes vocati sunt electi. Item quos Deus prædestinavit, eos & vocavit, E. quos vocavit eos & prædestinavit. Ad universales verò affirmantes, quæ in hâc consequentiâ sunt inutiles, etiam referri debent propositiones universales geminata negatione, quæ æquipollent affirmantibus. quare nominetenus hæc est consequentia, Nullus homo non est animal E. nullum animal non est homo, quia utraq; universaliter ait. IV. *Cautela specialis secunda. Conversio per accidens non retrò meat, nec ex particulari affirmante aut negante vicissim colligit affirmantem aut negantem universalem.* Hinc inconsequens hæc est consequentia: quoddam animal est nigrum, ergò omne nigrum animal est. Possemus nunc ad alia pergere, nisi abiturum retrotraherent duæ adhuc controversiæ. 1. *propositiones singulares, an etiam, & quomodo convertantur? hæc propositio quomodo permutari debeat; dolus nemini debet patrocinari?* Resp. ad 1. propositiones singulares negativæ de subjecto communi prorsus non convertuntur, quia absona est hæc sequela, aliquis Apostolus non est Paulus, Ergò Paulus non est Apostolus; affirmativæ verò de subjecto communi convertuntur per accidens, ex. gr. Socrates est homo E. quidam homo est Socrates: at; *objicis*, scripturam asserere, Deum factum esse hominem, ejus tamen convertentem damnari ab Ecclesiâ, quendam hominem

factum

factum esse Deum, immò Thomam 3. part. quæst. 16. a. 7. eam falsitatis arguere, Resp. conversionem legitimè sic debere institui, E. quidam qui factus est homo est Deus, quæ locutio nullam relinquit cavillandi occasionem. Resp. ad 2. illa propositio non est convertenda hoc modo, *quicquid nemini debet patrocinari est dolus*, quod falsum, quia etiam mala causa, ignorantia &c. alicui non debet patrocinari: neque ita converti debet, *quod nemini debet patrocinari est dolus*, nam hæc ex priori non sequitur, sed eam evertit: sed his modis ad conversionem est idonea, si vel 1. accipiatur ut universalis negans, hoc sensu, *nullus dolus debet alicui patrocinari*, tùm facile ita permutabitur, nulla res quæ debet alicui patrocinari est dolus, vel 2. universalis affirmativa. *Omnis dolus est id, quod debet nulli patrocinari*, tùm converteretur per accidens, Ergò aliquid, quod nulli debet patrocinari, est dolus.

ARTICULUS III.

1. *Agitur de consequentiâ in propositionibus finitis & infinitis.*
2. *Insperguntur quædam de conversione per contrapositionem.*
3. *Annectitur consequentia in privantibus.*
4. *Proponuntur cautelæ non necessariæ & necessariæ.*

§. 50. Præter propositiones affirmantes & ex

semisse negantes, e. g. infinitæ, quæ sunt composita & potestate duplices; Hæc enim: juraverunt in non Deo, Jerem. 5. 7, significat, eos jurasse quidem, non autem in vero Deo: similiter hæc, lapis est non homo, asserit lapidem esse aliquid, sed non esse hominem, duo igitur sunt enunciata, lapis est aliquid, lapis non est homo. Proinde mutua hinc fluit consequentia; Eaq; 1. *ab affirmante finita ad infinitam negantem*, ratio, quia de quo affirmatur unus terminus contradictoriorum de eo negatur alter e. g. omnis homo est animal. Ergò omnis homo non est non animal. Huc etiam quadantenus referri potest conversio per contra positionem, nam & illa ex finitis terminis colligit infinitos sed mediante conversione extremorum. 2. *à negante finita ad infinitam ajentem valet consequentia* e. g. homo non est doctus E. homo est non doctus, & vice versâ. 3. *ab affirmante infinitâ ad negantem finitam* V. C. ut: homo est non doctus E. homo non est doctus, 4. *ex affirmata prædicati finiti sequitur negans prædicati privativi.* e. g. homo est videns E. non est cæcus, 5. *Ex affirmante prædicati privativi sequitur ajens prædicati infiniti & negans prædicati finiti* e. g. homo est indoctus, E homo est non doctus, & homo non est doctus. Cautelæ de hâc consequentiâ sunt vel necessariæ, vel superfluæ: necessariæ sunt hæ:

§. 51. Cautela 1. generalis, *ut supra, ita & hîc, requiritur eadem forma argumentandi*, ne vel suppositiones confundantur, vel alia fiant, quibus

forma argumentandi violetur. Item, ut totum prædicatum propositionis infinitæ reddatur finitum, non aliqua solum pars, aut determinatio, igitur malâ fide ambulat hæc sequela, homo *potest non currere, Ergo* homo nō potest currere. Corrigitur autem hoc modo, homo non est potens currere, Ergò homo non est potens currere, ubi prior si falsa sit, quid mirum, si nec posterior sit melioris pretii? Cautela 2. specialis, *Hæc consequentia requirit identitatem subjecti, & per consequens etiam quantitatis, quæ ex subjecto fluit*: Uti enim, *comparatio est Zabarellæ in tab. log.* in physica non datur motus ab uno termino ad alterum, nisi substratâ eadem materiâ, ita consequentia hîc non datur, nisi eodem subjecto utrinque constet. Ergò 1. terminus finitus positus loco subjecti non infert terminum infinitum ex eodem subjecto. e. g. non sequitur, non homines sunt in domo E. in domo non sunt homines: prior potest esse vera, si etiam equi vel vaccæ sint in domo, posteriori existente falsâ; nam consequentia hæc solum infert aliquid ex prædicato finito vel infinito. at *instas*, ne quidem ex prędicato infinito aliquid sequi, cum hęc sequela non procedat, in fluvio sunt non pisces E. pisces non sunt in fluvio. Resp. cryptice hîc transponi terminos, & subjectum pingere se cerussâ prædicati. quæ crypsis ita evolvenda: non pisces sunt in fluvio E. pisces non sunt in fluvio, cum locus de locato, non contra, hoc de illo, prædicari debeat, uti monet *Cl. Dn Scheibl*

Scheibl.c.9.de prop.n.19. 2. hæc consequentia etiam requirit identitatem quantitatis, perperam igitur ex eo, quod, quoddam animal non sit homo, infertur, Omne animal esse non hominem. Nam assumo, homo est animal E. homo est non homo. Cautela 3. specialis, *Hæc consequentia præter identitatem etiam exigit constantiam subjecti*, id est subjecti existentiam in naturâ, præsertim in consequentiâ, quæ est ex negante finitâ ad affirmantem infinitam; Unde non sequitur, rosa in hyeme non est florens E. rosa est in hyeme non florens, posterior est falsa; Nam cũ infinita sit habet hunc sensum, quod rosa in hyeme existat, quamvis non floreat. Excipienda tamen est generalissima contradictio, quæ est inter ens, & non ens, quæ consequentiam promovet, etsi subjectum non existat; Rectè enim sequitur, purgatorium non est ens E. purgatorium est non Ens. Monet *Mendoza* disp.4. summ. s.5. § 32. idem etiam observari debere in conversione per contra positionem, ut scilicet fiat cõsequentia cum suppositione, quod res existat: unde mala hæc erit conversio, omnis homo est ens, E. omne non ens est non homo; siquidem non ens existere, contradictio est. Quod vero consequentia vitiosa sit, apparet, quia ex vero potest elicere falsum. nam 1. contingens est omne non ens esse nõ hominem, quia, quod non est, non necessariò est non homo, potest enim esse non lapis, non mensa &c. 2. immò falsum est, omne non ens esse non hominem, quia esse

non hominem notat aliquid esse, sed tamen non esse hominem. at non ens aliquid esse, credat Judæus Apella. Cautela 4. specialis: *ex negante privativâ affirmantem finitam non* V.C. non enim sequitur, lapis non est cæcus, E. lapis est videns. Cautela 5. *ex ajente predicati infiniti perperam infertur affirmans prædicati privativi*, hinc vanus est ille syllogismus: Quicunque non est doctus ille est indoctus; Truncus non est doctus. Ergò truncus est indoctus: at si est indoctus, posset etiam, vel deberet, doctus esse; cum privatio neget habitum inesse possibilem. Unde & ineptæ hæ sunt consequentiæ: Imperium non est pura monarchia E. est impura monarchia: Deum esse, non est puræ fidei; E. est impuræ fidei.

§. 52. *Cautelæ non necessariæ sunt* 1. *Zabarellæ*; qui prohibet ex finitâ negante inferre infinitam ajentem, aut ex infinitâ negante finitam affirmantem. Contra de quocunque unum contradictoriorum negatur, de eo alterum affirmatur, e. g. rusticus & non rusticus sunt contradictoriè opposita; Ergò de quo negatur non rusticum esse, de eo rectè affirmatur esse rusticum. 2. *aliorum*, qui monent 1. prædicatum negativæ debere esse simplex non conjunctum: unde rejiciunt hanc sequelam: Socrates non est homo volans E. Socrates est non homo volans, quasi Socrates volaret sed esset extra genus hominum; 2. ajunt, propositionem non debere esse reduplicativam, proindeque repudiant hanc; homo quatenus homo

non

non est albus E: homo quatenus homo est non albus: quasi existentia Hominis consisteret in τῷ non album esse. Resp: ad 1. negando; quod consequens sit falsum; immò verius ẹst præjacente; quia hoc videtur inficiari; Socratem esse hominem; per regulam: negatio negat quicquid post se invenit: posterior verò non negat de Socrate humanitatem, sed modum, nempe volatum; hoc sensu; Socrates est quidem homo, sed non talis qui sublimis eat in aëre. ad 2. notam reduplicativam pertinere ad prædicatum, ut infra explanabitur; sic igitur emendanda est consequentia ut sit sine menda: homo non est albus, quatenus homo; E. homo; est non albus quatenus homo; Utrumque sanè verum!

ARTICULUS IV.

1. *Tractatur consequentia æquipollentiæ.*
2. *Ejus sophismata deteguntur.*

§. 53. Æquipollentia vel est terminorum simplicium; quæ gramaticis & lexicographis relinquitur, vel propositionum; quæ cum sæpe sint obscuriusculæ, lucem fœnerari debent ab aliis æquipollentibus. vulgò vocatur exponibilium expositio, de quâ infra aliquid sumus dicturi: vel tertiò signorum, de quâ nunc sumus solliciti: in genere autem requiritur ad æquipollentiam 1. in verbis discrepantia, 2. in sensu consanguinitas 3. qualiscunque consequentia, quæ ab aliis consequen-

quentiis ἀσυλλογίστοις hoc differt, quod illæ consecutionem quidem habeant, sed non semper reciprocationem consequentiæ, ut ex proximâ consequentiâ patuit. Sequitur regula 1. *a veritate aut falsitate unius contradictoriæ ad alterius negationem mutæ per præpositum signum valet consequentia & contra.* pone enim hanc veram: Omnis homo est animal, non potest non etiam vera esse illa, non quidam homo non est animal. nec probatio hujus regulæ ex Epicuri intermundiis demum accersenda, sed est in promptu. Nam 1. qui negat unam contradictoriam esse veram, ille asserit alteram esse veram, sed qui præponit propositioni alicui particulam Non, ille negat eam esse veram: Ergò qui præponit τὸ non, ille affirmat veram esse alteram. 2. contradictoria pugnant qualitate & quantitate, negatio igitur præposita signo, quia est malignantis naturæ, quicquid post se invenit, id totum destruit, ejusq; oppositũ inducit: Ergò negat priorem quantitatem, & qualitatem, quæ est e.g. quidam homo non est animal, & vicissim ejus oppositam inducit, omnis homo est animal. 2. *ab enunciatione contrariâ unâ ad alteram mutatam negatione signo postpositâ V. C. & vice versâ.* ex. gr. quia hæc vera est, omnis equus est hinniens, vera etiam erit illa, nullus equus non est hinniens. ratio 1. quia duæ negationes affirmant Ergò & affirmanti æquipollent 2. quia perinde est, signum universale habere inclusum, & habere post se positum

situm. Nunc si vera hæc est, Omnis homo est animal, vi primæ regulæ, & illa vera erit, Omnis non homo nõ est animal, at sive dicas, omnis non, sive nullus, parum interest. Ubi obiter nota differentiam inter NON præpositum, & postpositum signo, illud destruit & identitatem extremorum, & quantitatem, unde, non omnis, equipollet τῷ non cuidam; hæc destruit solam identitatem, non quantitatem, hinc fit, ut omnis non, æquipolleat τῷ nullus, ratio diversitatis est, quia negatio non negat ante se, sed post se. 3. *à subalterna una ad alteram mutatam signo & particulæ negantis præ ac postpositione; V. C. reciprocè* e. g. Omnis homo est animal, cujus subalternatæ, quæ est, quidam homo est animal, appone negationem, quidam homo non est animal; ecce contradictoriam! jam negatio præposita facit contradictorias æquipollentes, ut, non quidam homo nõ est animal. Monet Fonseca l. 3. c. 8. in negantibus subalternatis particulam negantem removeri; quæ in ajentibus aliàs additur, e. g. nullus homo est justus, E. non aliquis homo est justus; *quanquam, inquit, hic non videas subjectum posterioris enunciationis habere negationem præ & postpositam, sed solùm præpositam; tamen quia enunciatio subalternanda priori ita habet; aliquis homo non est justus, negatione nimirùm postposita subjecto, non fuit negatio iterùm postponenda, sed potius tollenda, nam idem efficies negationem positam auferendo, atque non positam ponendo.* Hactenus Fonseca, non igitur opus est, ut hac obscuritate ütâris;

ris non quidam homo non est non justus, sed illicò dicere potes, non quidam homo est justus.

§. 54. *Cautela Una: Aliter judicandum est de propositionibus absolutè sumtis citra respectum, aliter in respectu vel oppositionis, vel æquipollentiæ, vel alius affectionis logicæ,* Corn. Martini in analysi formæ, cap. 3. Sed esto sophisma tale: Æquipollentia est in his: *quidam homo non est asinus,* E. *non omnis homo est asinus*: at prior vera est, posterior falsa; Si enim non omnis homo est asinus, E aliquis homo est asinus, *Quæstio igitur est, an, aliquis, & non omnis, supponantur pro eodem?* Resp. absolutè & secundū usum communem de tali propositione (cui præfixum est signum, non omnis) loquendo, videtur illa innuere sensum biparticularem, qualem præ se ferunt hæc proverbia: non cuivis hominum contingit adire Corinthum: non ex quolibet ligno fit Mercurius, id est, ex aliquo fit, ex aliquo non fit: si tamen respectus habeatur ad oppositionem & sensus proprius spectetur, tùm quando asseritur, non omnem hominem esse asinum, insinuatur, solum cuidam homini non competere asinitatem, non attento, utrum alicui conveniat an nulli? quia enim τὸ non præponitur, signum negat non solùm extremorum cohæsionem, sed & quantitatem: unde formaliter hæc fluit: quidam homo nō est asinus, materialiter solùm, nec perpetuò illa, quidam homo est asinus. Unicum adhuc superest discutiendum; *Quæritur, quæ huic & his similibus* (nullus homo nullum est animal)

Q *æqui-*

æquipolleat? Resp. prior negatio æquipollet contrario, posterior contradictorio, si enim nullus homo nullum est animal, E. omnis homo aliquod est animal, &, si nemo unquam peccat, E. omnis aliquando peccat.

ARTICULUS V.

1. *Agitur de consequentiâ in subalternatione.*
2. *De consequentiâ ab est tertij ad est secundi adjecti.*
3. *De consequentiâ à conjunctis ad divisa.*

§.55. Plurimæ consequentię possent enumerari, sed illę 1. sunt materiales, pertinētes ad apodicticam & dialecticam: 2. sunt potius enthymemata, quam consequentię; extra syllogismum solùm de iis hic loci consueverunt agere logici, quæ 1. magis sunt formales, 2. versantur inter eosdem terminos. Supersunt autem in illorum numero adhuc tres: 1. est *consequentia in subalternatione*: de qua est regula: 1. *ex veritate subalternantis colligitur veritas subalternatæ, non vice versâ*; Nam qui dicit omne, nihil excludit. 2. *ex falsitate particularis rectè colligitur falsitas universalis*, quia 1. una instantia particularis impedit universalitatem. 2. aliàs duæ contrariæ possent esse simul veræ. Pone enim hanc particularem, quidam homo est rusticus, esse falsam, vera erit contradictoria, nullum hominem esse rusticum, quod si nunc universalis ajens per te sit vera, ecce simul stabunt hæ duæ, omnem hominem esse rusticum, & tamen nullum homi-
nem

nem esse rusticum. Notamus hic discrimen inter universale complexum & incomplexum; Nam ibi, ut dictum est, colligitur ex universali particulare; non contra; hic verò ex particulari colligo universale, non vice versâ; Sequitur enim rectè, homo est. E. animal, perperam verò, animal est; E. homo. Confer consequentiam à specie ad genus de quâ Dutrieu. tr. 4. p. 1. c. 2. art. 3. Sophismata ex dictis facilè deteguntur.

§. 56. 2. *Consequentia* dicitur *ab est tertii adjecti ad est secundi adjecti*. Hanc declarare non melius possumus, nisi per ipsas cautelas: in quibus præcognoscendum est, τὸ Est tertii adjecti aliquando solùm significare propositionis veritatem, & præter copulandi officium non habere aliud. Nam si dicas, nihil est nihil; non hoc vis, quod nihil sit aliquid existens, sed propositionem hanc esse veram, hinc Arist. l. γ. Metaph. c. 2. t. 2. ἀποφάσεις refert inter entia, quatenus τὸ μὴ ὂν εἶναι φαμέν: Non ens, scribit *super h. l.* D. *Havvenreut.* ὁ ἐν ἁγίοις, sive negatio ratione existentiæ absolutè non est: ratione autem intellectus est, quatenus de eâ aliquid affirmari aut negari potest. Aliquando τὸ Est præter officium copulandi connotat existentiam in propositionibus potissimum contingentibus, & implicitè subintelligi debet participium existens: Exemplum esto, piscis est in fluvio. Hic τὸ Est non nudè copulat, sed includit participium existens; id quod constat ex conversione, quæ non nisi hoc modo institui potest: piscis est in flu-

vio, E. existens in fluvio est piscis, ubi τὸ EST ut copula manet immota, participium verò in eo delitescens subit locum subjecti. Nunc sequitur *cautela* 1. *τὸ EST tertii adjecti quando nudè copulat, tunc ab est tertii adjecti ad est secundi adjecti non V.C.* ratio, quia ibi τὸ EST notat extremorum identitatem, at hæc est solùm negotio diversitatis, non privativa quâ existit subjectum, sed negativa quæ non postulat subjectum, aut subjecti cōstantiam. Unde in caducum parietē inclinat hæc sequela: Chimæra est ens fictum, E. Chimæra est. Cautela 2. *in propositione essentiali & necessarâ ab est tertij adjecti ad est secundi adjecti non V.C.* rationem suppeditat Fonseca in metaphysicis, quia ad connexionum necessariarum veritatem non exigitur constantia seu existentia objectorum, quandoquidem hæc propositio: Socrates est homo, vera est, etsi, nec Socrates, nec homo existat, 1. nisi enim hæc vera esset, vera esset contradictoria, Socrates non est homo; jam assumo: Quicunque non est homo, ille etiam non est Socrates: Socrates, per te, non est homo E. per te Socrates non est Socrates, ἀντιφατικὸν! 2. omnis conditionalis vera fundatur in veritate simplicis, Ergò si hæc vera est, ut omninò est, Si Socrates est homo est animal, vera etiam erit illa, hominem esse animal, etsi nec homo, nec animal existat. Proinde ineptè colligitur: *Vva est succosa. E. Vva est*, illud enim etiam in mediâ æstate asserere licet, non similiter hoc. Cautela 3. *ab est tertii adjecti ad est secundi adjecti*

adjecti V.C. tùm demùm si τὸ EST notet existentiam e. g. Petrus sedet, id est, est existens in situ sessionis, E. Petrus est. Quando verò τὸ EST non permittit resolvi in participium existens, tum sophista non in consequentiam, sed foveam, abducit. Ex esto igitur hæc sequela: *homo est generandus*, E *homo est*, ideò notat *Iavell.* l 9. log. c. 4. part 5: prædicatū non debere esse terminum distrahentem, qui scil. removeat existentiam, quod fit in istis: dies hesternus est præteritus E. est: domus est combusta, E. est Cautela 4. *ab est tertii adjecti ad est secundi adjecti V. C. solùm in affirmativis, non negativis*. Non enim sequitur, Homo non est asinus E. *homo non est. At instas*, negatio destruit, quicquid post se invenit, E. destruit non asinitatem solū, sed & esse hominis. Resp. concedò antecedens, sed nego consequentiam: destruit quicquid post se invenit, sed invenit copulam, destruit igitur unioné hominis cum asino, sed propterea non tollit existentiā hominis. III *Consequentia est à conjunctis ad divisa, & cōtra*; Ex quâ fluunt hæ, Aristoteles est doctus philosophus, E. est doctus & philosophus. Item Aristoteles fuit homo & fuit rationalis E. fuit rationalis homo Sic vice versa, Philippus est homo rationalis, E. est homo. Solum duo nota. 1. hanc consequentiam non procedere in propositionibus, quæ constant verbo incipiendi, & similibus, id quod rectè observavit Thomas p. 3. art. 9. e. g. hoc incipit esse nigrum, E. incipit esse. Item Λόγος incepit esse homo. E. incepit esse. 2. in propo-

positionibus negativis e.g. Bona opera non sunt necessaria ad salutem, E. non sunt necessaria. Sophisticis Euripis sedandis has adhibe cautelas: Cautela 1. *si qua in conjuncto sit æquivocatio, regula non procedit*, siquidem à conjuncto ut uno, non multiplici, valet consequentia: non igitur sequitur, Plato est homo mortuus, E. Plato est homo, Nam tunc Plato est homo ὁμωνύμως, sicut ὁ λιθινὸς καὶ γεγραμμένος l. 2. de an. c. 2. t. 9. l. 1. de gen, an. c. 19. l. 7. Metaph. c. 10. Item Quidam homo nequam est bonus Architectus, E. est bonus, scilicet moraliter: alia enim est bonitas artis, de qua in antecedente sermo est, alia bonitas virtutis. Cautela 2. *prædicatum nisi insit subjecto per se, absq; interventu tertii, formaliter nihil sequitur*: prædicata igitur conjuncta non debent enunciari de se invicem merè per accidens, unde non auditur, qui sic arguit, Augustinus est philosophus & Theologus. E. est Philosophus Theologus seu Philosophicus Theologus: nec illa consequentia justa est, voluptas animi est bona, & est ultima, sequitur enim beatitudinem, E. est ultimum seu summum bonum. Cautela 3. *Vt in superioribus consequentiis, ita & in hac, sophismata non felicius evitaveris quam verbo logico expreßè posito*. Ludibrium meretur hic Paralogismus: video corvum, & video album, E. video corvum album. sed quid respondendum? scilicet prędicata divisa tota & explicitè ponenda esse, hoc modo: ego sum videns corvum, & sum videns album, E. qui sum videns corvum, sum etiam videns

videns album. Hactenus consequentiæ extra syllogismum expressum.

ARTICULUS VI.

1. *Agitur de consequentiâ syllogisticâ in genere.*
2. *Ostenditur quibus fundamentis illa innitatur.*
3. *Proponuntur variæ cautelæ.*

§. 57. Excussit nuper diabolus infelicem progeniem, matre ignorantiâ satam, quæ disputationibus omnibus suas sibi res habere jussis, ad Anticyras missis omnibus syllogismis (cum idem sit syllogisticè & sophisticè disputare) cõfidit se posse de rebus omnibus tàm sacris, quã profanis, judicare, novos Wigelianos intelligo, cum quibus qui receptis disputandi modis congredi vellet, ille ab insulsis homunculis audire cogeretur, quod Cresconius Augustino l. 1. contra Cresc. c. 14. dixit, negans, cum Augustino disputandum esse, cur? quia sit dialecticus. His opponendũ est, syllogisticas consequentias non minus divina beneficia esse, ac sunt jura naturæ: ut enim ex his ceu fontibus promanat justitia, ita veritas ex illis: ut ingratissimus sit, qui vel affectatâ simplicitate, aut superciliosâ arrogantiâ, negligere eas leges voluerit, quibus nos ipsa natura præmuniit contra tot lubricas errorum vias. Pessimè cum rebus humanis ageretur, si nulla omninò ratione nobis cautum esset à sophismatis: si omnia dene-

negata veritatis ſcrutandæ media eſſent. Et cur diſputamus, ſi hircum mulgemus, ſupponẽtibus aliis cribrum, cum perinde ſit, nullam ſequi argumentandi normam, atq; incertam ſequi. Ideò Logici certis quibuſdam fundamentis ſyllogiſticam conſequentiam ſuperſtructam animadverterunt, & eam ceu certiſſimam veritatis indagatricem demonſtrarunt, 1. *à priori*, ex dicto de omni & nullo, cujus veritatem Mendoza diſput. 10. ſ. 16. §. 84. ex principio contradictionis acutiſſimè, Zabarella l. quatt. fig. ſyll. c. 6. ex ipsâ naturâ & naturali prædicandi ratione, quam ars ceu naturæ ſimia imitatur, planiſſimè deducit: quorſum remitto Lectorem, per omnia enim ire, hoc ſit logicam recudere, *à poſteriori*, quia nunquam compertum eſt, tot retrò ſeculis ſyllogiſmum ex veris præmiſſis peperiſſe falſam cõcluſionem, ſed ſemper ex neceſſitate verum intuliſſe, modò cautelæ aliquæ obſervatæ fuerint, quibus neglectis in ſophiſticum labyrinthum abitur, negatâ regreſſus libertate, niſi Ariadnæo illo filo cæcas nemoris inſidias fefelleris. Has cautelas nunc ordine enumerabimus, & calones ſophiſticos à ſingularum pedibus ſequi jubemus.

CAUTELA I.

Nullus ſyllogiſmus conſtet pluribus aut paucioribus quàm tribus terminis.

§. 38. *Ratio* regulæ eſt, quia ſyllogiſmus eſt aliquis diſcurſus à noto ad ignotum: at ſi duo ſolum ſint

ſint termini, nihil per illos ignoti manifeſtabitur, e.g. in hac enunciatione, ſol eſt major terrâ, termini ſeorſim non ſunt ignoti, ſed ignota eſt χέσις, an tanta quantitas ſoli inſit? id verò oſtendendum eſt aliquo tertio. 2. ſi plures ſint tribus, poneretur quartus vel in antecedente vel in conſequente: non hîc, quia eſt una propoſitio; non illîc, quia præmiſſæ reapſe non differunt à concluſione, quod igitur in hâc exulat, exulat & illic. 3. optima ratio ſumitur à poſteriori, quia compertum eſt, ſyllogiſmum, non ex amuſſim tribus conſtantem terminis, ſæpiſſime ex vero falſum collegiſſe. Sophiſmata igitur ſunt, non argumenta, quæ revera conſtant duobus ſolum aut quatuor terminis; dico revera, nam quidam ſyllogiſmi ab imperitis ſæpe diffamantur, quibus tamen fit injuria. Quippe *apparenter* ſolum peccant 1. *in quibus termini numerantur ex numero nominum grammaticorum*, e.g. Is eſt verus Meſſias qui natus eſt in oppido Bethlehem, multæ quidem ſunt voces, duo tamen ſolùm termini logici. 2. *in quibus accidentia grammatica ſuppoſitionem vel ſignificationem ſtatam ſervantia aut voces ſynonymæ permutantur*, e.g. omne currens movetur, Pegaſus currit E. Pegaſus movetur, currens & currit non faciunt duos terminos, ratio, quia copula (quæ latet in verbo currit) non multiplicat terminos, cum ipſa terminus non ſit, *unde deciditur etiam, quod dubitari poſſet de ſyllogiſmo negante*. e.g. Omnis homo eſt animal, quoddam currens non eſt ani-

mal E. quoddam currens nōn eſt homo: videri alicui poſſet, ſubeſſe quatuor terminos, aliud enim eſt animal, aliud non animal. ſed non ſunt. nam negatio (non) non eſt pars prædicati, quod liquidum eſt ex converſione; ſed eſt ſolum determinatio copulæ, uti verò copula terminos non multiplicat, ita nec negatio. Idem etiam judiciũ eſt de ſignis quantitatis. 3. *in quibus occurrit πλοκὴ, id eſt, ejuſdem de eodem prædicatio, cum quodam emphaſi* e.g. quod ſcriptum eſt, ſcriptum eſt, Pilati inſcriptio &c. nequaquam hîc diminutus eſt terminorum numerus. 4. *in quibus propoſitio probatoria ſuſtinet locum majoris per crypſin quandam*: Injuria igitur fit his ſyllogiſmis, & calumnia ipſorum auctoribus, quando quatuor terminorum ignominiâ afficiuntur:

Dextra Dei eſt ubique,
Chriſtus ſedet ad dextram Dei. E.
Chriſtus eſt ubique.
Λόγος non eſt in loco.
Chriſti humana natura eſt in λόγῳ, E.
Chriſti humana natura non eſt in loco.

Nam 1. ejuſmodi argumentationes ſunt enthymematicæ, & quæ majoris vicem obtinet, eſt nervus, & quaſi maxima, ex quâ fluit talis conſequẽtia; eodẽ modo argumentantur dialectici, ponentes loco majoris maximam Topicam, adjungentes deinde enthymema e.g. Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, Deus eſt cauſa ignis E. etiam eſt cauſa uſtivitatis: ſimiles ſunt illi, Ariſt. l. 2. phyſ. c. 8. t. 72. natura

natura agit propter finem, Ars imitatur naturam E. ars agit propter finem. Omnis caseus est substantia, vermis nidulatur in caseo E. vermis nidulatur in substantia, vide Stengel. de syllogis. bono & malo §. 62. Quis verò dicat hæc argumenta omnia fatua esse? Quid? quod pro Calvinianis hic faciat, (*quem Dn. Goclen. Marpurgi aliquando mihi objecerat,*) Europa est extra Asiā. Christus homo est in Europa, E. Christus homo est extra Asiam. Num hic etiam quatuor terminorum stigma inurent? non puto, favet enim eorum causæ. nos certè quatuor terminos subesse, non dicimus, sed negamus hanc majorem; Quodcunq; Ens est in Europa, id est, extra Asiam. 2. non destituimur Philosophi auctoritate, qui l. 1, prior. anal c. 25. requirit quidem tres terminos, sed addit, εἰ μὴ προσλαμβάνει τό τι ἢ ἐπαγωγῆς χάριν τοῦ λαθεῖν τὸ καθόλου, ἢ εἰς ὄγκον τοῦ λόγου ἢ κόσμον, ἢ κρύψιν &c. uti explicat alibi l. 8. top. cap. 1.

§. 59. Contra verè impingitur 1. *quoties expressè ponuntur quatuor termini*, exempla sunt:

Omnes Apostoli sunt duodecim,
Petrus est Apostolus, E.
Petrus est duodecim; Aliud enim est Apostoli aliud Apostolus.

Qui credit in Deum salvatur,
Diabolus credit Deum, E.
Diabolus salvatur; Aliud enim est Deum, aliud in Deum credere.

2. quoties frustillatim & non integrè terminus aliquis repetitur, e. g.

Omne secundum immediatè sequitur primum,
Omne tertium immediatè sequitur secundum. E.
Omne tertium immediatè sequitur primum.
Nulla aqua bibit vinum.
Omnis homo bibit aquam, E.
Nullus homo bibit vinum.

Quamvis in his argumentis rectius feceris, si memor superioris præcepti constituas propositiones logicas. Hæc enim tunc prodibunt monstra:

Omne secundum est numerus qui immediatè sequitur primum.
Omne tertium est secundum, E. *&c.*
Nulla aqua est aqua bibens vinum,
Omnis homo est aqua, E. *&c.*

3. *Quoties suppositio terminorum variatur.* nam hi syllogismi signo-tenus tribus constant terminis, cætera infames quatuor extremis.

Alicubi est adverbium,
Titius est alicubi, E.
Titius est adverbium.

Sic Augustinus:

Ex cujus ore prodit leo, ex eo prodit immanis bestia,
Sed ex ore nominantis leonem, prodit leo, E.
prodit ex eodem magna bestia.

Ita & Hotomannus l.4. dial. c.28. ludit:

Homo est duarum syllabarum,
Constantinopolitanus est homo, E.
Constantinopolitanus est homo duarum syllabarum.

In his tribus una vox in unâ propositione supponitur materialiter, pro se ipsâ, in alterâ formaliter

ter pro re significatâ extra se. Nam in 1. Alicubi in majori supponitur materialiter, quasi grammaticè, quod constat, quia addere licet hujus suppositionis characterem græcum τὸ, vel gallicum ly: in minore supponitur formaliter, pro re per τὸ alicubi significatâ.

Sed & hi logi multò solidius solvuntur, constituendo ex vagis illis enunciatis propositiones logicas, hoc modo:

1. *Vox alicubi est adverbium,*
Titius est vox alicubi, E.
Titius est adverbium.

Item: *Vox homo est vox duarum syllabarum,*
Constantinopolitanus est vox homo, &c. E.

Nunc proba in utroque minorem, si vires.

Ex variatâ suppositione nascuntur & hæc prodigia:

1. *Omnes Germani sunt tota natio,*
Omnes Norimbergenses sunt Germani E.
Omnes Norimbergenses sunt tota natio.
2. *Omnis homo directè ponitur in prædicamento,*
O. rationale est homo, E.
O. rationale directè ponitur in prædicamento.

In primo exemplo quatuor sunt termini ideò, quia subjectum majoris, quod supponitur simpliciter pro immediato significato, nec admittit descensum, putatur supponi personaliter, similiter ut minor. *Omnis verò suppositio simplex constituit propositionem singularem*, in qua signum quantitatis est pars ipsius subjecti, ut sine eo subjectum

repeti

repeti non possit. Quod si igitur corrigendus ille est syllogismus, liberatur quidem à nevo formali, sed non à materiæ monstrositate, hoc modo,

Omnes Germani sunt tota natio
Omnes Norimbergenses sunt omnes Germani
E. &c.

Ubi minor, si vera sit; quid erunt Suevi? cujates Saxones? Eodem modo in secundo exemplo subjectum majoris supponitur simpliciter, repetitum verò in minori supponitur confusè. Unde quatuor termini. Et si corrigendus sit ille syllogismus, hanc habebit minorem, omne rationale est omnis homo. Ex quibus etiam ipsâ facilitate facilius solvitur illa stropha:

Omnis scriptura est sufficiens ad salutem,
Quævis vox in bibliis contenta est SS.
E. Quævis vox in bibliis contenta est sufficiens ad salutem.

§. 60. 4. Committitur hic error, quoties occultatur quartus terminus in voce æquivocâ: nam in omni syllogismo habente vocem homonymam, quatuor sunt termini, non quidem secundum vocem ipsam, sed secundum rem voce significatam, ad quam logicus est attentior, quàm ad vocem. 5. Duo solùm termini sunt in syllogismo, quando nominis solùm non rei est diversitas, quo vitio laborat illa ratiocinatio:

Entitas non est ens;
Essentia est entitas. E.
Essentia non est ens. E. nihil.

Major

Major probatur; quia concretum non potest prædicari de suo abstracto. Verùm cùm concreta sint triplicia 1. physica, à quibus abstractum differt reapse, ut albedo & album 2. logica, à quibus abstractum solâ ratione discrepat, ut Deitas & Deus. 3. grammatica, à quibus illud differt solo nomine: in postremâ classe est entitas & ens, qui autem termini solo nomine distinguuntur, non constituunt duos terminos: quare in fallaciâ illâ negari potest major, & ad probationem responderi, veram illam esse de abstracto physico, & logico, non grammatico.

CAUTELA II.

Medius terminus ad minimum in alterâ præmissarum sumatur distributivè, id est pro omni suo significato tàm mediato quàm immediato, & quidem completè.

§. *61.* Sensum cautelæ ut rectè percipias, nota, vocis unius significatum duplex esse posse, unum mediatum, alterum immediatum præcisè, sub quo nihil ausis subsumere, ut in hâc propositione: homo est species, homo (qui alias mediatè etiam significat Petrum, Paulum &c. hîc accipitur pro immediato suo significato, & dicitur supponi simpliciter: nec sumitur distributivè, quia ejus prædicatum (species) non potest distributivè de Petro, Paulo aut alio individuo enunciari. At verò in hâc, homo est animal, homo

mo sumitur distributivè, & dicitur supponi personaliter; & quia licet descendere, ideò accipitur pro mediato etiam significato. 2. Distributio debet esse completa & totalis, ita quidem, ut nihil excipere possis. Nam completa distributio non est, quæ est in genera singulorum, & in singula generum, ut omne animal fuit in arcâ Noæ: nec 2. completa distributio est, cum terminus disjunctivè solùm explicari potest e.g. homo est animal: Ecce prædictum non distribuit completè, quia non licet dicere, hominem esse & hoc, & istud, & illud animal &c. sed hominē esse aut hoc, aut illud animal. neq; 3. completa distributio est, cum τὸ omnis solū dicere licet, non τὸ omne. Nam hæc conceditur, omnis λόγος est in homine; hæc verò negatur, omne id, quod λόγος est, est in homine, quia homo λόγος est, nec tamen in homine homo est. Ratio cautelæ sumitur ex dicto de omni, nisi enim medius terminus distribui possit, quomodo minor tanquam pars sub toto subsumetur? id quod flagitat dictum de omni. Tanti facit hanc regulam Fonseca, ut asserat, ex puris particularibus rectè concludi posse, tùm si in minori propositione signum apponi possit prędicato, ut ita, qui terminus in majori non erat distributus distribueretur in minori, e.g. quidam homo est rusticus, quoddam animal (nempe Adam ante Evam creatam) est omnis homo. E. quoddam animal est rusticum. Sophisticis igitur strophis accensendæ sunt sequentes:

1. *Omne*

1. *Omne animal fuit in arca Noæ,*
Bucephalus est animal. E.
Bucephalus fuit in arca Noæ.
2. *Animal est genus respectu hominis & bestiæ;*
Omnis homo est animal. E.
Omnis homo est genus respectu hominis & bestiæ.
3. *Omnis homo proprio utitur sermone;*
Carolus V. est homo. E.
Proprio usus est sermone; Atqui gallica lingua ei fuit familiarissima.
4. *λόγος est in homine,*
Homo est λόγος. E.
Homo est in homine.
5. *Hoc est cantharus;*
Hoc est vinum. E.
Vinum est cantharus.
6. *Corpus Christi est in, cum, & sub pane,*
Panis est corpus Christi. E.
Panis est in, cum, & sub pane.
7. *Vbi est λόγος, ibi est ejus assumta humanitas;*
λόγος est in humanitate E. *humanitas est in humanitate.*
8. *Filius Dei verè mortuus est;*
Divina natura non est verè mortua.
E. *Divina natura non est filius Dei.*
9. *Corpus Christi est crucifixum;*
Panis est corpus Christi. E.
Panis est crucifixus.
10. *Quicunque sunt duodecim præter octo, illi sunt quatuor.*

Viginti homines sunt duodecim præter octo,
Viginti homines sunt quatuor.

Resp.ad 1.medius terminus neutrobique sumitur distributivè, & completè,nō in majori, in quâ sumitur solum pro generibus singulorum, für aller-ley/ nicht alle Thier/in minori cōfusè. 2.secundum exemplum ideò delirat, quia animal rursus neutrobiq; distribuitur;non in majori, in quâ supponitur simpliciter,non in minori,quia illic confusè supponitur. ad 3. in majori rursus (homo) non potest distribui completè, pro singulis generum, in minori rursus non distribuit; Completè; dici enim nequit, Carolus V.est hic, & iste,& ille homo; sed,aut hic,aut ille homo. In reliquis exemplis omnibus uno modo peccatur,quod medium terminum non habeant distributum completè, sed si completè ille distribueretur, semper major evaderet falsa. Non enim verum est, omne id, quod λόγος est,esse in homine.Non item omne id, quod Hoc est,esse cantharum;Nam etiam vinum per δεικτικὸν (Hoc) demonstrari potest.Neque omne id quod corpus Christi est,est in, cum,& sub pane,datur enim instantia de pane. Nec omne τὸ λόγου est τοῦ humanitatis , quia datur τὸ internum sive personale,quo λόγος est in humanitate : quod τὸ non intelligitur, quando asseri solet, ubi λόγος est, ibi est humanitas,secus sequeretur,idem esse in seipso. Rursus, non omne id , quod filius Dei est,est mortuum. Nec id,quod corpus Christi est, cruci affixum fuit.

Ad extremum, illa entia, quæ sunt duodecim præter octo, non sunt quatuor, omnia.

Nam & viginti sunt duodecim præter octo, si à vicenario removeas octo.

CAUTELA III.

Nullus terminus, qui non fuit distributus in antecedente, distribui debet in consequenti: seu, à non distributo ad distributum non valet consequentia.

§. 62. Fundamentum est dictum de omni & nullo, quod ex toto partem, non ex hâc illud deducit; ideò etiam Darapti & Felapton universalem conclusionem non constituunt. Ex hoc principio struitur illud vulgare, à particulari ad universale non valere consequentiam. In controversiam venit: An hæc consequentia: Abraham fide justificatus est. E. omnis homo fide justificatur, sit à non distributo ad distributum? videtur quod sic, quia integer syllogismus hic est: Abraham fide justificatus est. Abraham est homo E. omnis homo fide justificatus est. Ubi homo in minori est terminus non distributus; qui tamen distribuitur in conclusione. Resp. Utiq; esse à non distributo ad distributum, quamdiu intra tertiam figuram sistitur, in primam vero conversum esse absque nævo, hoc modo:

Abraham, idealiter repræsentans omnes fideles, est justificatus fide,

Omnis homo fidelis est Abraham idealiter &c. E.

Consequentiã hanc justam esse, patet 1. quia non

amplius poteſt accuſari illius vitii, cujus in tertiâ figurâ rea eſt. 2. quia fluit ex textu Paulino; vult enim Paulus firmitatem promiſſionis ſtabilire Rom. 4. 16. 3. congruit ad dictum de omni, quia Abraham proponitur ut totum poteſtativum; ſub quo ſubſumitur omnis homo fidelis. 4. uti rectè ſequitur, Adam eſt peccator, omnis homo eſt Adam, (hinc Auguſt. l. 1. de remiſſ. peccati c. 10. *Omnes eramus ille unus homo*) E. omnis homo eſt peccator: Ita & in noſtro exemplo legitima eſt ſequela; Ut enim Adam eſt pater repræſentans totum genus humanum, ita Abraham fuit pater repræſentans (non efficienter, ſed idealiter) omnes fideles; hinc vocatur radix oleæ Rom. 11. 17. & qui Chriſti ſunt, dicuntur ſemen Abrahæ. Gal. 3. 29. ſed de hâc re aliàs plura.

CAUTELA IV.

Partibus ex puris ſequitur nihil, atque negatis.

§. 63. Ratio ſumitur 1. ex cautelâ ſecundâ; Nam in ſyllogiſmo ex puris particularibus colligente, medius terminus in majori non diſtribuitur (teſte ſigno particulari) non in minori, quia in nullâ propoſitione affirmativâ uſitate prædicatum diſtribui poteſt. 2. ubi puræ ſunt particulares, ibi quatuor ſunt metuendi termini: *dico metuendos eſſe*, quia id non eſt perpetuum, ſi ſcilicet termini repetiti ſupponantur pro iiſdem, nam

nam hic syllogismus non est quatuor terminis infamis:

Quidam stantes ad dextram Christi fruentur beata vitâ.

Quidam stantes ad dextram Christi (sc. illi iidem qui in majori intelliguntur) fuerunt pÿ

Ergò &c.

Videntur igitur colligere, non colligunt consequentiæ hæ;

Credentes sunt electi

Quidam perituri sunt credentes E.

Quidam perituri sunt electi.

Nam major est particularis, etsi abjecto signo fucum faciat.

Tò est in multis locis explicari debet per significat,

Ergò eodem modo explicari debet in S. cœnæ institutione.

Dann ein anders ist/ es kan so heissen/ ein anders es soll oder muß so heissen/ inquit B. Lutherus tom. 5. Jen. germ. Hactenus primũ membrum cautelæ.

Sequitur secundum de puris negativis, quę nihil concludunt: ratio petitur ex dicto de omni & nullo, cujus vi præcipitur, ut medium cum altero saltem extremorum conveniat. Quamobrem in Arcadiam mittit hujusmodi syllogismos Stengelius, unde infelicem pedem extulerunt, qui ne quidem materialem habent consequentiam, qualis est ille:

Nullus homo est brutum.

Nullus leo est homo. E.
Nullus leo est brutum.

quasi verò leo non sit brutum, quia homo non est brutum: imò quia leo non est homo, & homo non est brutum, proximior est leó ut sit brutum, quàm ut non sit, quia leo potest esse, quod homo non est.

CAUTELA V.

Medium terminum importare regioni conclusionis, nefas esto.

§. 64. Ratio 1. quia aliàs idem per idem probaretur, & quàm absurdum est definitum ingredi definitionem, tàm quoque absurdum est medium subire locum conclusionis, 2. causa est extra effectum. Medium est conclusionis causa, Ergò! 3. Aut enim apponeretur majori termino, aut minori, si illud fieret, constitueretur ex conclusione propositio major; si hoc, renasceretur minor. Nota tamen 1. medium posse ingredi conclusionem, sed variatâ dispositione, e.g. Quicunque est poëta, & est in arte bonus, ille est bonus poëta, Virgilius est Poëta & bonus E. est bonus Poëta. 2. aliud est medium ingredi actu: aliud est in conclusione virtualiter quasi latére. Nam cum in conclusione sæpe ponatur aliquod universale, cujus particulare stat pro medio termino, *quod fit in antecedentibus per illationem*, uti vocat Dutrieu ex. gr. Petrus est homo. E. Petrus est animal, ideò

etiam

etiam dici poteſt medium eſſe in concluſione virtute, ſicut cauſa dicitur eſſe in ſuo effectu l. 4. Phyſic. c. 4. Unde nothus hic eſt ſyllogiſmus & adulterinus:

Omnis rugoſus eſt triſtis,
O. ſenex eſt rugoſus. E.
O. rugoſus eſt triſtis, vel, omnis ſenex rugoſus eſt triſtis.

CAUTELA VI.

In concluſione plus, aut minus, aut aliud ponere, quam erat in præmiſſis, piaculum eſto.

§. 65. Non ponendum eſt. 1. *plus*, quia quatuor orirentur termini, & hęc ratio eſt generalis. Dolus igitur eſt, non argumentum, ſi quis ita colligat:

Quorum Deus vult miſereri, illorum miſeretur,
Sed quorundam hominum vult miſereri. E.
Quorundam miſeretur abſolutè.

In hanc foveam cadant Calviniani neceſſe eſt, aut hic locus nihil facit ad ipſorũ Andromamachen. Non 2. *minus*, quod contingere poteſt dupliciter, 1. ſine vitio, per ſubſumtionem alicujus particularis, aut per legitimam conſequentiam: ita, vi poteſtatis plura concludendi, beneficio converſionis per accidens, aut ſubalternationis, poteſt minus inferri, quod fit in modis indirectis primæ figuræ ex. gr. in Baralipton, omne animal vivit, omnis homo eſt animal E. quoddam vi-

vens est animal. 2. cum vitio, idque per limitationis necessariæ aut particulæ alicujus necessariæ, omissionem, e. g.

Omnis peccator, si pœnitentiam agat, à Deo recipitur.

Iudas est peccator, E. Iudas à Deo in gratiam recipitur.

Subest tamen hic aliud vitium, de quo infrà in reduplicativis. Toties verò hîc peccatur, quoties 1. ut loquitur Thomas, quid in quale mutatur, seu sensus identicus in formalem. minus igitur est hoc;

Omne album disgregat visum,
Quoddam dulce est album E.
Quoddam dulce disgregat visum.

Cum dicendum fuisset. E, quoddam ens dulcedine affectum, est ens disgregans visum, quo nihil verius: Totum enim subjectum non est *dulce*, nec totum prædicatum est *disgregare visum*, sed totum concretum, ut liquet ex superioribus de nomine & verbo cum ageremus: Quoties 2. non integrum prædicatum aut subjectum, sed ejus solùm casus repetitur, e.g.

Deus est auctor boni,
Deus est auctor mali, scilicet pœnalis E.
Malum est bonum, pro quo dicendum fuerat, E. quidam auctor mali est auctor boni.

Item

Petrus habet collare,
Petrus habet pallium, E.
Pallium est collare.

Pro

Pro quo dicendum fuerat: Ergò quidam qui habet pallium, habet & collare. Quare materialem solùm consequentiam habet ille: Ananias est mentitus DEO, Ananias mentitus est Sp.S. E.Sp S. est DEUS, 3. non *aliud*, scilicet reipsâ: nam si rationis discrimen, quod est inter notius & ignotius, spectes, semper aliud sequitur in conclusione; Aliud autem sequitur 1. per expressam termini additionem, aut ablationem, sic recurrit cum præcedentibus, 2. per termini imutationem, quod fit 1. cum singularis mutatur in pluralem e.g. Judas prodidit Christum, E. omnes Apostoli prodiderunt Christum. 3. cum habetur pro synonymo, quod tale non est e.g.

Quicunque non sunt contumeliis afficiendi, illi sunt honorandi.
Sancti defuncti non sunt cõtumeliis afficiendi, E.
Sancti defuncti sunt invocandi.

4. quando termini non eâdem formâ proponuntur, & quatuor termini admittuntur, ut:

Leo est aliud ab equo,
*Bucephalus non est aliud ab equo.*E.
Bucephalus non est aliud à leone.

CAUTELA VII.

Conclusio semper sequitur partem debiliorem.

§. *66.* Valet hîc canon 1. solùm de qualitate & quantitate, non *falsitate*, quia ex falso potest se-

qui verum: non de *contingentia*, quia ex contingenti formaliter potest sequi verum, ut, homo est animal, quidam homo est rusticus E. quidam rusticus est animal. 2. valet si debilior pars adsit, non enim adest in Barbara & Darapti. 3. non valet in syllogismis compositis. Ibi enim conclusio potest inferri ajens, non obstante præcedente negatione, & in genere hæ regulæ datæ sunt non omnibus, sed solùm syllogismis simplicibus. Ratio verò regulæ est, quia effectus nunquam est nobilior suâ causâ, præsertim æquivocâ, qualis est antecedens respectu consequentis. Sequuntur cautelæ speciales:

PRIMA.

In primâ figurâ ex minore negativâ aut majori particulari directè nihil sequitur.

Ratio, quia utrobiq; proceditur à termino non distributo. Nam si 1. minor fuerit negativa, major affirmativa, tum majus extremum in majori locum prædicati obtinens, non est distributum, in conclusione verò negatâ distribuitur; omne enim affirmativæ propositionis prædicatum est non distributum, & omne prædicatum negativæ est distributum. si deinde major fuerit particularis, medius terminus nuspiam erit distributus, cōtra cautelam secundam; Non enim distributus est in majore, teste signo particulari: non in minori, quia tunc affirmantis pronunciati prædicatum est. Quare deceptio est, non veritas, in hisce.

Omnes

Omnes electi sunt vocati,
Pauci sunt electi. E.
Pauci sunt vocati.

Item *Omnis contradictionis altera pars est vera,*
Omnis contradictionis altera pars est falsa. E,
Quoddam falsum est verum.

Uterque syllogismus fucum facit, prior in superficie creditur esse planè affirmatus, alter majorem habens universalem, sed, si logicâ novaculâ usq; ad immum eos detondeas, apparebit 1. in primo minor negativa, pauci enim idem est quod aliqui non. 2. in posteriori major particularis, quod non subolfacit qui credit, casum obliquum nomẽ logicum esse. verum igitur subjectum est, altera pars omnis contradictionis &c. at signum (Altera) est particulare. Addidi autem in cautelâ *directè*. Nam modus Fapesmo, constans minore negativâ, & modus Frisesomorum, constans majori particulari, semper ex veris verum eliciunt; Nam ideò tantum ejusmodi consequentias exulatum misimus, quia concludunt à non distributo; hæc ratio, si cessat regula, etiam non obligat, & ibi quasi dispensatione aliquâ opus est: nam Frisesomorúm ex majori particulari ideò rectè concludit, quia medium distribuitur saltem in minore, cum minor sit negativa, cujus prædicatum est semper distributum. Et Fapesmo procedit rectè à non distributo (non ad distributum, sed) ad non distributum, quod non faciunt aliæ consequentiæ, directè & universaliter concludentes ex minore negatâ.

Ante

Antequam hinc pedem proferamus, duo adhuc expedienda sunt, 1. *an saltem ex majori singulari aliquid sequatur?* 2. *quid sentiendum de controversis illis syllogismis, minorem habentibus negantem an vitiosi? quales sunt:*

Quidquid non scintillat, prope nos est.
Planetæ non scintillant, E. prope sunt.

Item: *Quicunque non audiunt verbum Dei, non sunt ex Deo.*
Iudæi non audiunt verbum Dei; E.
Iudæi non sunt ex Deo.

Resp. 1. ex majori singulari rectè concluditur, quod indicio est, particulari eam non æquipollere, sed universali, uti fusius demonstratum est in syllog.can.log.syll.3.can.7. *Nec obstat*, in ejusmodi syllogismis medium terminum nuspiam distribui. Resp. distributivè terminus sumitur, si accipitur pro omnibus, pro quibus sumi potest, sive revera habeat inferiora, ut terminus communis. sive non habeat, ut singularis, modo subsumi aliqua minor possit, secus non darentur syllogismi singulares. Ergò in majori propositione medium distributum est.

Quantum attinet secundam controversiam, in hoc ὁμοθυμαδὸν conspiratur, quod syllogismi ejusmodi sint formaliter boni. Sed diversimodè vindicantur à regulâ, quæ minorem negativam prohibet. Fonseca l.8. c.2. asserit, hos syllogismos esse formaliter bonos, atque ob solam materiam vitiosum esse illum cornutum: Quicquid non amisisti,

ſiſti, habes &c. Fr. Harlay part 3. artif. log. c. 5. minorem ſtatuit voce tenus eſſe negantem: Stengel. de ſyllog. bono & malo §. 63. cenſet, ejusmodi ſyllogiſmos infinitantes eſſe hypotheticos implicitè e. g. ſi qui non credunt, non ſalvantur, quæ propoſitio, quia copula conjunctionalis non negatur, eſt affirmativâ. Quicquid verò hujus ſit, ejuſmodi ſyllogiſmi, ad ſimilem argumentandi formam fuſi, abſolutè ſunt boni, probatur 1. quia fundantur in dicto de omni, continetur enim pars ſub toto; Judæi ſunt in numero eorum, qui non audiunt verbum Dei, 2. quia nulla regula logica allegari poteſt, in quam impingant; Si enim aliqua eſſet, eſſet illa de non diſtributo; at verò in his fit progreſſus à diſtributo ad diſtributum; Nam (non eſſe ex Deo) qui terminus eſt prædicatum majoris, utiq; diſtribuit, teſte negativâ appoſitâ. 3. à poſteriori, quia nunquam compertum eſt, hujusmodi ratiocinia, ſervatâ eâdem formâ, ex vero falſum collegiſſe. Igitur perinde eſt, ſive minor ſit negativa, ſive affirmativa infinitè: nam ſi neget, idem de eâ judicium ferendum erit, quod de Fapeſmo; ſi ajat, jam dum à vitioſatum cenſu abſoluta eſt. Alia verò quæſtio eſt, an ejuſmodi ſyllogiſmi concludant ex meris negativis? &, an minor reverâ neget? quam hîc inexplicatam præterimus, ideò, quia de eâ & peculiarem tractatum edidimus, & ejuſdem apologiam ſuccenturiavimus.

CAU-

CAUTELA VIII.

In secunda figura ex majori particulari, aut utraq; sumtione ajente nihil concluditur; nisi vanum veritatis spectrum.

§. 67. Ratio primæ partis est, quia talis argutia procedit à non distributo ad distributum. Nam subjectum majoris non est distributum, teste signo particulari, & tamen distribuitur in conclusione, quę, cum negata sit, nullum terminum à distributione excipit. Ratio partis posterioris est, quia talis argumentatio medium terminum nunquam distribuit, cum ille semper ponatur in regione prædicati, at verò medium terminum semel distributum esse, necesse est. Exempla sophistica sunt ad posteriorem cautelam 1. Cænei: quod reprehendit Aristoteles l. 1. post. anal. c. 11. t. 92.

Quod per multiplicatam proportionem fit, subitò gignitur.
Ignis subitò gignitur. E.
Ignis per multiplicatam proportionem fit.

Alterum Cardani, cui ideò indignatur Scaliger ex. 153. s. 9.

Cicutæ succus est, quo Græci utebantur ad mortem voluntariam,
Hiucæ succus est, quo Indi utebantur ad mortem voluntariam.
E. Hiuca est de genere Cicutæ.

Tertium est vexatum illud:

Omne id est durum quod est lapis,

Atqui

Atqui ferrum est durum. E.

Ferrum est lapis.

Hic postremus, si situm spectes, videtur sub primâ figurâ stipendia mereri, si formalem positionem intueare, erit hostis secundæ figuræ, & concludet ex ajentibus omnibus; Nam in majori lapis est subjectum, τὸ durum est prædicatum, hoc modo:

Omnis lapis est durus,

Omne ferrum est durum. Ergò.

Eodem modo Pervani (referente Bentz. l. 3. hist. nov. orb. c. 21.) crediderunt, Christianos è spumâ maris concretos fuisse, quos ideò Viracochios à Cochie (mari) & Vira (spumâ) per contumeliam nominarunt, hoc persuasi sophismate:

Venti (maris soboles) domus prosternunt, arbores frangunt &c.

Viracochij idem faciunt, omnia devorant, terram invertunt, vim fluminibus inferunt &c.

E. *Viracochij sunt maris soboles, & ventorum fratres.*

CAUTELA IX.

In tertia figura, quæ conclusio vel ipsa universalis est, vel minorem habet negantem, persona est, non vera.

§. 68. Si enim conclusio sit universalis, major terminus in majori erit nō distributus, hocq; non obstante distribuetur in conclusione. Si minor sit nega-

negativa, major terminus itidem non distributus distribuetur in conclusione. Sophisma igitur est:

O. Corvus est niger,
N. Corvus est Æthiops. E.
Quidam Æthiops non est niger.
O. Tyrannus habet subditos,
N. Tyrannus est bonus Rex, E.
Quidam bonus Rex non habet subditos.

Duo hic animadvertenda sunt: 1. sæpe syllogismum tertiæ figuræ vitiosum esse propter negatam minorem, quam tu tamen ajentem esse credideras, propter scilicet crypticam præmissarum transpositionem. Nam priori syllogisno facile fucum asperget Sophista, ut Jovem jurares lapidem, minorem esse affirmantem, hoc situ:

N. Corvus est Æthyops;
O. Corvus est niger. E.
Quidam Æthyops non est niger.

Sed glaucoma hoc facile evitabis, dicendo, minorem propositionem non esse, quæ injuria ejus regionem invasit: Nam ea est minor propositio, quę minorem habet terminum; ea major, quæ majorem. 2. sæpe syllogismum esse absq; omni macula, quem incautus ob minorem negantem damnatum iret, qualis est ille supra allatus:

Omnis electus est vocatus,
N. electus perit. E.
Quidam qui non perit est vocatus.

Nam, quod hic syllogismus sit justus, patet ex reductione ad primam figuram, quæ ceu lydius lapis ipsum probat: *O. ele-*

O. electus est vocatus,
Quidam qui non perit electus est, E.
Quidam qui non perit est vocatus.

Sed *quæris*, quo indicio internoſcendi hi poſterioris generis ſyllogiſmi ſint à ſuperioribus? Reſp. ſi τὸ non in concluſione pars eſt ſubjecti, tùm quidem minor præcedens fuit negativa, ſed eſt abſq; vitio; ſi τὸ non, eſt determinatio copulæ, tùm vitioſum reddit argumentum.

ARTICULUS VII.

Sophiſmata ſyllogiſmorum aliorum deteguntur.

1. *Eorum qui ſunt ex caſibus obliquis.*
2. *Ex ſyllogiſmis aſſumtivis.*
3. *Ex ſyllogiſmis ſingularibus.*

§. 69. Non tàm auſteri ſumus, ut ſyllogiſmis obliquis omnem conſequendi rationem denegemus, ſed formalem eam eſſe inficiamur, cum eâdem argumentandi formâ retentâ ſæpe ex veris falſum eliciant. Conſultum igitur eſt, ſyllogiſmi obliqui reductionem ad rectum poſtulari. Nihilominus quibuſdam cautelis conſequentiam eorum materialem determinare logici ſolent, de quibus videatur Fonſeca l.6. c.30. Cautelæ ſunt: 1. ſyllogiſmus affirmativus non patitur utramque præmiſſam conſtantem ex obliquis; Nulla igitur ſequela ſubeſt,

Viri boni eſt ſapienter agere,

Digitus est viri boni. E.
Digiti est sapienter agere.

Syllogismus negativus, si præmissa obliqua neget, justus est: si ajat, nothus. illius exemplum est tale:

Nullius entis est esse malum,
Deus non est ens. E.
Dei non est esse malum.

Hujus tale esto paradigma:

Deus est infinitus,
Homo est à Deo. E.
Homo non est finitus.

Sed, ut supra monebamus, longè rectius hęc vitia aperiuntur, si radio recto illuminentur.

§. 70. 2. Syllogismi assumtivi dicuntur, in quibus propositio major vel est comparativa, cujus notæ characteristicæ sunt, qualis, talis &c. vel relativa, cujus notæ sunt, ubi, ibi. Frequentes sunt ejusmodi ratiocinationes in disputationibus, sed non dubium, quin multa sophismata nidulari in iis possint, quibus averruncandis hæc tibi cautela sit velut

——— *Tegeæi dextra vialis:*

Syllogismus assumtivus simulac videbitur fuco patrocinari, illicò reduc ad syllogismum absolutum, quod fit mutatione concretivorum terminorum in abstractos, hoc modo:

Qualitas Christi est (scilicet τὸ τί accipiendo analogicè) *qualitas Christianorum,*
Humilitas est qualitas Christi. Ergò!

Item.

Item, proportio 2.ad 4. est proportio 3.ad 6. proportio dupla est proportio 2. ad 4. E. proportio dupla est proportio 3. ad 6. Est scilicet non per essentiam, sed per σχέσιν, & analogiam. Nam τὸ Est (uti in hâc: piscis est in fluvio, exponitur per participium existens, ita hîc) involvit in se nomen simile analogum, vel aliud hujusmodi. Item, ille locus, in quo pastor est, est locus, in quo sunt auditores. Sed templum est ille locus in quo pastor est. Ergò. Hæc cautela pro clypeo tibi erit contra sophismos 3. Restat de syllogismis singularibus nonnihil ut dicatur: quos minus rectè repudiat Crellius, sed ei responsum est à Cl. Dn. Scheibl. tr. syllog. p. 76. Cur enim eliminentur hujusmodi argumenta? cum 1. concludant ex dicto de omni, e. g.

O. Astrum efficiens diem est hic sol.

O. Planeta in quarta sphærâ est astrum efficiens diem. E.

O. Planeta in quartá sphærâ est hic sol.

Nec obstat, non esse de omni: quia nullus terminus sumitur distributive. Resp. dictum de omni & toto æquivalent, satis est esse de toto: vide sis licet Stengel. contra Scaynum part. 1. §. 41. 2. Maximè innitantur illi principio, quæ conveniunt in uno tertio, illa inter se quoque conveniunt. Quæris: cur, si syllogismi hujusmodi benè concludant, non eos attingat Aristoteles, aut cur non etiam modi pro illis sint excogitati? Resp. 1. ideò, quia, quamvis iis consequentia ab Aristotele nuspiam denegetur, tamen ab eo non fuit pensi ha-

bita, idque propter ſummam eorundem evidentiam; Adeò enim nihil artis habent, ut prorſus naturâ fluant: quâ evidentiâ moti nonnulli, ipſam primam figuram à logicâ artificiali negligendam eſſe exiſtimant. 2. modi pro illis novi nondum ſunt excuſi vitandæ prolixitatis ergò, deficerent enim vocales ad tot minutias minutatim perſequendas, inquit Mendoza diſp. log. 20. ſ. 15. §. 75. Eadem verò concludendi ratio in his eſt, quæ in ſyllogiſmis univerſalibus, ut hîc nihil ſeorſim ſit commentandum. Unum ſolùm obſerva, in ſecundâ figurâ fieri argumenta ſingularia poſſe ex meris ajentibus; Nam quę ſyllogiſmis univerſalibus obſtant, ea hîc non militant, exemplum eſt:

Hic homo eſt Petrus,
Hic Apoſtolus eſt Petrus, E.
Hic Apoſtolus eſt homo.

Sed monet Dn. Scheibl. c. 2. tr. ſyll. n. 35. rectè, prædicata etiam oportere terminos ſingulares eſſe; Nam ſi ſint communes eodem periculo cum ſyllogiſmis univerſalibus ſubſunt. Videntur tamen hujuſmodi argumenta magis materialem, quàm formalem, habere conſequentiam, cum conſtent ex terminis convertibilibus, at hi etiam in ſyllogiſmis univerſalibus in ſecundâ figurâ materialiter rectè procedunt.

§. 71. Supereſt adhuc dubium de ſyllogiſmo expoſitorio, qui videtur non poſſe ſemper adhiberi ad confirmandum ſyllogiſmum de medio communi; Nam ſi quis colligat:

O. Ocu-

O. Oculus est necessarius ad videndum,
Alter oculus est pars capitis, E.
Aliqua pars capitis est necessaria ad videndum.

Hæc conclusio particularis nequit ostendi expositione, quia non potest subsumi terminus singularis. Resp. hic syllogismus non est justus in materiâ; Aut enim major habet sensum copulatum, hoc modo, O. oculus, id est, & hic, & ille oculus est necessarius ad videndum, sic in minore in his terminis (alter oculus) involvitur contradictio: nam si est alter, non est hic, & iste oculus: & si hic & iste oculus, non est alter; perinde igitur est, sive dicas, alterum oculum esse partem capitis, ac si defendas, quod non est, id esse partem capitis. Vel major sumitur distributivè, hoc sensu: Omnis oculus est necessarius visui, id est, hic oculus est necessarius visui, iste oculus est necessarius visui: ita major erit falsa, quid mirum, si conclusio non sit melioris precii? quid itidem mirum, si, quod falsum est, ostendi expositione non possit?

ARTICULUS VIII.

Vitia syllogismi hypothetici deteguntur.

§. 27. Boëtius non coactus, sed quia facilius sæpe est, & promptius hypotheticis argumentis disputare, excogitavit syllogismos compositos, & eos Logicæ Aristoteleæ assuit, quod tamen additamentum logicam Aristotelis nequaquam imperfectionis arguit, sed eam ob fœcunditatem commendat. Neq; enim quisquam tenetur ejus-

modi argumentationem admittere, nisi videat eam fundari in syllogismo categorico, ad quem semper reduci & debet,& potest. Si enim secundæ & tertiæ figuræ syllogismis fides non adhibenda est, nisi ad primam figuram reductis, quis cogat, his argumentationibus niti, nisi facem illis præluceat prima figura? Reductio ad primam figuram facilis est & difficilis, 1. facilis, si tribus contineatur terminis; Nam tunc aut de uno subjecto duo prædicata dicuntur,ut,si aquila est avis, volat. Et in hoc casu,conclusio eadem est, quæ in categorico: ille terminus,qui non intrat conclusionem, est medius, hoc modo:

O. Avis volat,
Aquila est avis. E.
Aquila volat.

Vel de duobus subjectis unum prędicatum enunciatur e.g. si Christus resurrexit, etiam nos resurgemus, supplenda hic minor est, & erit syllogismus assumtivus, hoc pacto,

Christus resurrexit,
Nos sumus Christus, scilicet per χέσιν. E.
Nos resurgemus.

2. Difficilis est reductio tùm, si quatuor terminorum luxu diffluat, adeò, ut Ramus l.7. schol. c.12. planè desperet. Nihilominus adhuc in mundo est modus aliquis, quo reductio illa fieri potest, exemplum est tale:

Si virtus est sequenda, vitium est fugiendum,
Sed virtus est sequenda. E.
Vitium est fugiendum. Non-

Nonnulli logici hoc modo reductionem instituunt:

Quicquid non virtus est sequenda, id est vitium fugiendum.

Sed vitium non est virtus sequenda &c. E.

Verùm hæc reductio non est formalis, quia ex hypothetico syllogismo vero aliquando colligit categoricum falsum, nam in posito exemplo, major erronea est: datur enim tertium, nimirum numi, mulieres, vinum &c. non sunt virtutes sequendæ, nec tamen sunt vitia fugienda. Reductio igitur commodius tum fit, si 1. fiat Enthymema, virtus est colenda, E. vitium fugiendum. 2. totum antecedens stet pro medio termino, 3. attendatur ratio & nervus connexionis, unde, quia in hoc exemplo proceditur ex disparatis, ita concludendum erit.

Cujus oppositum virtus est sequenda, id est, fugiendum,

Vitij oppositum virtus est sequenda. E.

Vitium est fugiendum,

Item: *Si justitia est ex lege, Christus frustra est mortuus,*

Sed Christus non est frustra mortuus. E.

Iustitia non est ex lege.

Quo stante Christus frustra mortuus est, id nō est.

Sed stante hoc, quod justitia sit ex lege, Christus frustra &c. E.

Hoc justitiam esse ex lege, non est: sive justitia non est ex lege.

Antequam hinc pedem proferamus, duo adhuc expedienda sunt, 1. *an saltem ex majori singulari aliquid sequatur? 2. quid sentiendum de controversis illis syllogismis, minorem habentibus negantem an vitiosi? quales sunt:*

Quidquid non scintillat, prope nos est.
Planetæ non scintillant, E. prope sunt.

Item: *Quicunque non audiunt verbum Dei, non sunt ex Deo.*
Iudæi non audiunt verbum Dei; E.
Iudæi non sunt ex Deo.

Resp. 1. ex majori singulari rectè concluditur, quod indicio est, particulari eam non æquipollere, sed universali, uti fusius demonstratum est in syllog.can.log.syll.3.can.7. *Nec obstat*, in ejusmodi syllogismis medium terminum nuspiam distribui. Resp. distributivè terminus sumitur, si accipitur pro omnibus, pro quibus sumi potest, sive revera habeat inferiora, ut terminus communis, sive non habeat, ut singularis, modo subsumi aliqua minor possit, secus non darentur syllogismi singulares. Ergò in majori propositione medium distributum est.

Quantum attinet secundam controversiam, in hoc ὁμοθυμαδὸν conspiratur, quod syllogismi ejusmodi sint formaliter boni. Sed diversimodè vindicantur à regulâ, quæ minorem negativam prohibet. Fonseca l.8. c.2. asserit, hos syllogismos esse formaliter bonos, atque ob solam materiam vitiosum esse illum cornutum: Quicquid non amisisti,

ſiſti, habes &c. Fr.Harlay part 3. artif. log. c.5.minorem ſtatuit voce tenus eſſe negantem: Stengel. de ſyllog.bono & malo §.63. cenſet, ejusmodi ſyllogiſmos infinitantes eſſe hypotheticos implicitè e. g. ſi qui non credunt, non ſalvantur, quæ propoſitio, quia copula conjunctionalis non negatur, eſt affirmativâ. Quicquid verò hujus ſit, ejuſmodi ſyllogiſmi, ad ſimilem argumentandi formam fuſi, abſolutè ſunt boni, probatur 1. quia fundantur in dicto de omni, continetur enim pars ſub toto; Judæi ſunt in numero eorum, qui non audiunt verbum Dei, 2. quia nulla regula logica allegari poteſt, in quam impingant; Si enim aliqua eſſet, eſſet illa de non diſtributo; at verò in his fit progreſſus à diſtributo ad diſtributum; Nam (non eſſe ex Deo) qui terminus eſt prædicatum majoris, utiq; diſtribuit, teſte negativâ appoſitâ. 3. à poſteriori, quia nunquàm compertum eſt, hujusmodi ratiocinia, ſervatâ eâdem formâ, ex vero falſum collegiſſe. Igitur perinde eſt, ſive minor ſit negativa, ſive affirmativa infinitè: nam ſi neget, idem de eâ judicium ferendum erit, quod de Fapeſmo; ſi ajat, jam dum à vitioſatum cenſu abſoluta eſt. Alia verò quæſtio eſt, an ejuſmodi ſyllogiſmi concludant ex meris negativis? &, an minor revera neget? quam hîc inexplicatam prætterimus, ideò, quia de eâ & peculiarem tractatum edidimus, & ejuſdem apologiam ſuccenturiavimus.

CAU-

CAUTELA VIII.

In secunda figura ex majori particulari, aut utraq; sumtione ajente nihil concluditur, nisi vanum veritatis spectrum.

§. 67. Ratio primæ partis est, quia talis argutia procedit à non distributo ad distributum. Nam subjectum majoris non est distributum, teste signo particulari, & tamen distribuitur in conclusione, quę, cum negata sit, nullum terminum à distributione excipit. Ratio partis posterioris est, quia talis argumentatio medium terminum nunquam distribuit, cum ille semper ponatur in regione prædicati, at verò medium terminum semel distributum esse, necesse est. Exempla sophistica sunt ad posteriorem cautelam 1. Cænei: quod reprehendit Aristoteles l.1. post.anal.c.11.t.92.

Quod per multiplicatam proportionem fit, subitò gignitur.

Ignis subitò gignitur. E.

Ignis per multiplicatam proportionem fit.

Alterum Cardani, cui ideò indignatur Scaliger ex.153. s.9.

Cicutæ succus est, quo Græci utebantur ad mortem voluntariam,

Hiucæ succus est, quo Indi utebantur ad mortem voluntariam.

E. Hiuca est de genere Cicutæ.

Tertium est vexatum illud:

Omne id est durum quod est lapis,

Atqui

Atqui ferrum est durum. E.
Ferrum est lapis.

Hic postremus, si situm spectes, videtur sub primâ figurâ stipendia mereri, si formalem positionem intueare, erit hostis secundæ figuræ, & concludet ex ajentibus omnibus; Nam in majori lapis est subjectum, τὸ durum est prædicatum, hoc modo:

Omnis lapis est durus,
Omne ferrum est durum. Ergò.

Eodem modo Pervani (referente Bentz. l. 3. hist. nov. orb. c. 21.) crediderunt, Christianos è spumâ maris concretos fuisse, quos ideò Viracochios à Cochie (mari) & Vira (spumâ) per contumeliam nominarunt, hoc persuasi sophismate:

Venti (maris soboles) domus prosternunt, arbores frangunt &c.
Viracochij idem faciunt, omnia devorant, terram invertunt, vim fluminibus inferunt &c.
E. *Viracochij sunt maris soboles, & ventorum fratres.*

CAUTELA IX.

In tertia figura, quæ conclusio vel ipsa universalis est, vel minorem habet negantem, personata est, non vera.

§. 68. Si enim conclusio sit universalis, major terminus in majori erit nô distributus, hocq; non obstante distribuetur in conclusione. Si minor sit nega-

negativa, major terminus itidem non distributus distribuetur in conclusione. Sophisma igitur est:

O. Corvus est niger;
N. Corvus est Æthiops. E.
Quidam Æthiops non est niger.

O. Tyrannus habet subditos;
N. Tyrannus est bonus Rex, E.
Quidam bonus Rex *non habet subditos.*

Duo hic animadvertenda sunt: 1. sæpe syllogismum tertiæ figuræ vitiosum esse propter negatam minorem, quam tu tamen ajentem esse credideras, propter scilicet crypticam præmissarum transpositionem. Nam priori syllogismo facile fucum asperget Sophista, ut Jovem jurares lapidem, minorem esse affirmantem, hoc situ:

N. Corvus est Æthyops;
O. Corvus est niger. E.
Quidam Æthyops non est niger.

Sed glaucoma hoc facile evitabis, dicendo, minorem propositionem non esse, quæ injuria ejus regionem invasit: Nam ea est minor propositio, quę minorem habet terminum; ea major, quæ majorem. 2. sæpe syllogismum esse absq; omni macula, quem incautus ob minorem negantem damnatum iret, qualis est ille supra allatus:

Omnis electus est vocatus;
N. electus perit. E.
Quidam qui non perit est vocatus.

Nam, quod hic syllogismus sit justus, patet ex reductione ad primam figuram, quæ ceu lydius lapis ipsum probat: *O. ele-*

O. electus est vocatus,
Quidam qui non perit electus est, E.
Quidam qui non perit est vocatus.

Sed *quæris*, quo indicio internoſcendi hi poſterioris generis ſyllogiſmi ſint à ſuperioribus? Reſp. ſi τὸ non in concluſione pars eſt ſubjecti, tùm quidem minor præcedens fuit negativa, ſed eſt abſq; vitio; ſi τὸ non, eſt determinatio copulæ, tùm vitioſum reddit argumentum.

ARTICULUS VII.

Sophiſmata ſyllogiſmorum aliorum deteguntur.

1. *Eorum qui ſunt ex caſibus obliquis.*
2. *Ex ſyllogiſmis aſſumtivis.*
3. *Ex ſyllogiſmis ſingularibus.*

§. 69. Non tàm auſteri ſumus, ut ſyllogiſmis obliquis omnem conſequendi rationem denegemus, ſed formalem eam eſſe inficiamur, cùm eâdem argumentandi formâ retentâ ſæpe ex veris falſum eliciant. Conſultum igitur eſt, ſyllogiſmi obliqui reductionem ad rectum poſtulari. Nihilominus quibuſdam cautelis conſequentiam eorum materialem determinare logici ſolent, de quibus videatur Fonſeca l.6. c.30. Cautelæ ſunt: 1. ſyllogiſmus affirmativus non patitur utramque præmiſſam conſtantem ex obliquis; Nulla igitur ſequela ſubeſt,

Viri boni eſt ſapienter agere,

Digitus est viri boni. E.
Digiti est sapienter agere.

Syllogismus negativus, si præmissa obliqua neget, justus est: si ajat, nothus. illius exemplum est tale:

Nullius entis est esse malum,
Deus non est ens. E.
Dei non est esse malum.

Hujus tale esto paradigma:

Deus est infinitus,
Homo est à Deo. E.
Homo non est finitus.

Sed, ut supra monebamus, longè rectius hęc vitia aperiuntur, si radio recto illuminentur.

§. 70. 2. Syllogismi assumtivi dicuntur, in quibus propositio major vel est comparativa, cujus notæ characteristicæ sunt, qualis, talis &c. vel relativa, cujus notæ sunt, ubi, ibi. Frequentes sunt ejusmodi ratiocinationes in disputationibus, sed non dubium, quin multa sophismata nidulari in iis possint, quibus averruncandis hæc tibi cautela sit velut

——*Tegeæi dextra vialis:*

Syllogismus assumtivus simulac videbitur fuco patrocinari, illicò reduc ad syllogismum absolutum, quod fit mutatione concretivorum terminorum in abstractos, hoc modo:

Qualitas Christi est (scilicet τὸ τί accipiendo analogicè) *qualitas Christianorum,*
Humilitas est qualitas Christi. Ergò!

Item.

Item, proportio 2.ad 4. est proportio 3.ad 6. proportio dupla est proportio 2. ad 4. E. proportio dupla est proportio 3. ad 6. Est scilicet non per essentiam, sed per σχέσιν, & analogiam. Nam τὸ Est (uti in hâc:piscis est in fluvio,exponitur per participium existens, ita hîc) involvit in se nomen simile analogum, vel aliud hujusmodi. Item,ille locus, in quo pastor est, est locus, in quo sunt auditores. Sed templum est ille locus in quo pastor est. Ergò. Hæc cautela pro clypeo tibi erit contra sophismos 3. Restat de syllogismis singularibus nonnihil ut dicatur: quos minus rectè repudiat Crellius, sed ei responsum est à Cl.Dn.Scheibl.tr. syllog.p.76.Cur enim eliminentur hujusmodi argumenta?cum 1.concludant ex dicto de omni,e.g.

O. astrum efficiens diem est hic sol.

O. Planeta in quarta sphærâ est astrum efficiens diem. E.

O. Planeta in quartâ sphærâ est hic sol.

Nec obstat,non esse de omni : quia nullus terminus sumitur distributive.Resp.dictum de omni & toto æquivalent, satis est esse de toto : vide sis licet Stengel. contra Scaynum part.1.§.41. 2.Maximè innitantur illi principio, quæ conveniunt in uno tertio , illa inter se quoque conveniunt. Quæris : cur, si syllogismi hujusmodi benè concludant,non eos attingat Aristoteles,aut cur non etiam modi pro illis sint excogitati? Resp.1.ideò, quia,quamvis iis consequentia ab Aristotele nuspiam denegetur, tamen ab eo non fuit pensi ha-

bita, idque propter ſummam eorundem evidentiam; Adeò enim nihil artis habent, ut prorſus naturâ fluant: quâ evidentiâ moti nonnulli, ipſam primam figuram à logicâ artificiali negligendam eſſe exiſtimant. 2. modi pro illis novi nondum ſunt excuſi vitandæ prolixitatis ergò, deficerent enim vocales ad tot minutias minutatim perſequendas, inquit Mendoza diſp. log. 20. ſ. 15. §. 75. Eadem verò concludendi ratio in his eſt, quæ in ſyllogiſmis univerſalibus, ut hîc nihil ſeorſim ſit commentandum. Unum ſolùm obſerva, in ſecundâ figurâ fieri argumenta ſingularia poſſe ex meris ajentibus; Nam quę ſyllogiſmis univerſalibus obſtant, ea hîc non militant, exemplum eſt:

Hic homo eſt Petrus,
Hic Apoſtolus eſt Petrus, E.
Hic Apoſtolus eſt homo.

Sed monet Dn. Scheibl. c. 2. tr. ſyll. n. 35. rectè, prædicata etiam oportere terminos ſingulares eſſe; Nam ſi ſint communes eodem periculo cum ſyllogiſmis univerſalibus ſubſunt. Videntur tamen hujuſmodi argumenta magis materialem, quàm formalem, habere conſequentiam, cum conſtent ex terminis convertibilibus, at hi etiam in ſyllogiſmis univerſalibus in ſecundâ figurâ materialiter rectè procedunt.

§. 71. Supereſt adhuc dubium de ſyllogiſmo expoſitorio, qui videtur non poſſe ſemper adhiberi ad confirmandum ſyllogiſmum de medio communi; Nam ſi quis colligat:

O. Ocu-

O. Oculus est necessarius ad videndum,
Alter oculus est pars capitis, E.
Aliqua pars capitis est necessaria ad videndum.

Hæc conclusio particularis nequit ostendi expositione, quia non potest subsumi terminus singularis. Resp. hic syllogismus non est justus in materiâ; Aut enim major habet sensum copulatum, hoc modo, O. oculus, id est, & hic, & ille oculus est necessarius ad videndum, sic in minore in his terminis (alter oculus) involvitur contradictio: nam si est alter, non est hic, & iste oculus: & si hic & iste oculus, non est alter; perinde igitur est, sive dicas, alterum oculum esse partem capitis, ac si defendas, quod non est, id esse partem capitis. Vel major sumitur distributivè, hoc sensu: Omnis oculus est necessarius visui, id est, hic oculus est necessarius visui, iste oculus est necessarius visui: ita major erit falsa, quid mirum, si conclusio non sit melioris precii? quid itidem mirum, si, quod falsum est, ostendi expositione non possit?

ARTICULUS VIII.

Vitia syllogismi hypothetici deteguntur.

§. 27. Boëtius non coactus, sed quia facilius sæpe est, & promptius hypotheticis argumentis disputare, excogitavit syllogismos compositos, & eos Logicæ Aristoteleæ affuit, quod tamen additamentum logicam Aristotelis nequaquam imperfectionis arguit, sed eam ob fœcunditatem commendat. Neq; enim quisquam tenetur ejus-

modi argumentationem admittere, nisi videat eam fundari in syllogismo categorico, ad quem semper reduci & debet,& potest. Si enim secundæ & tertiæ figuræ syllogismis fides non adhibenda est, nisi ad primam figuram reductis, quis cogat, his argumentationibus niti, nisi facem illis præluceat prima figura? Reductio ad primam figuram facilis est & difficilis, 1. facilis, si tribus contineatur terminis; Nam tunc aut de uno subjecto duo prædicata dicuntur,ut,si aquila est avis, volat. Et in hoc casu,conclusio eadem est, quæ in categorico: ille terminus,qui non intrat conclusionem, est medius, hoc modo:

O. Avis volat,
Aquila est avis. E.
Aquila volat.

Vel de duobus subjectis unum prędicatum enunciatur e.g. si Christus resurrexit, etiam nos resurgemus. supplenda hic minor est, & erit syllogismus assumtivus, hoc pacto,

Christus resurrexit,
Nos sumus Christus, scilicet per χέσιν. E.
Nos resurgemus.

2. Difficilis est reductio tùm, si quatuor terminorum luxu diffluat, adeò, ut Ramus l.7. schol. c.12. planè desperet. Nihilominus adhuc in mundo est modus aliquis, quo reductio illa fieri potest, exemplum est tale:

Si virtus est sequenda, vitium est fugiendum,
Sed virtus est sequenda. E.
Vitium est fugiendum.

Non-

Nonnulli logici hoc modo reductionem instituunt:

Quicquid non virtus est sequenda, id est vitium fugiendum.

Sed vitium non est virtus sequenda &c. E.

Verùm hæc reductio non est formalis, quia ex hypothetico syllogismo vero aliquando colligit categoricum falsum, nam in posito exemplo, major erronea est: datur enim tertium, nimirum numi, mulieres, vinum &c. non sunt virtutes sequendæ, nec tamen sunt vitia fugienda. Reductio igitur commodius tum fit, si 1. fiat Enthymema, virtus est colenda, E. vitium fugiendum. 2. totum antecedens stet pro medio termino, 3. attendatur ratio & nervus connexionis, unde, quia in hoc exemplo proceditur ex disparatis, ita concludendum erit.

Cujus oppositum virtus est sequenda, id est, fugiendum,

Vitij oppositum virtus est sequenda. E.

Vitium est fugiendum.

Item: *Si justitia est ex lege, Christus frustra est mortuus,*

Sed Christus non est frustra mortuus. E.

Iustitia non est ex lege.

Quo stante Christus frustra mortuus est, id nō est.

Sed stante hoc, quod justitia sit ex lege, Christus frustra &c. E.

Hoc justitiam esse ex lege, non est; sive justitia non est ex lege.

Cautela I. majorem syllogismi hypothetici constituere negantem, nefas sit, ut,

Non, si Iohannes est animal, illicò est lupus,
Atqui Iohannes non est lupus, E.
Iohannes non est animal.

Ratio, quia major in reductione futura est particularis negativa, hoc pacto:

Quoddam animal non est lupus.
Iohannes non est lupus, E.

Objicis, hunc rectè inferre, majore quantumvis negante;

Non, si dies est, nox est,
Sed nox non est, E.
dies est.

Resp. esse consequentiam solum materialem, ideoque rectè infert, quia major constat ex oppositis immediatè, & æquipollet huic universaliter neganti: Nullum tempus diurnum est nocturnum. Cautela II. à positione antecedentis ad positioné consequentis, non autem ab antecedentis sublatione ad consequentis eversionem V.C. Nota, ponere & tollere non item significant quod affirmare & negare: sed ponere seu assumere est repetere positum in propositione eodem modo, quo positum est, affirmativum scilicet affirmativè, negativum negativè Tollere, est ponere sententiam priori cõtradicentem, id est, cum eâ pugnantem in qualitate & quantitate, ut ita sophisma committatur, quandò universale tollitur per universale, e.g. *si omne animal est irrationale:*

Omnis homo est irrationalis.
At nullus homo est irrationalis, E
Nullum animal est irrationale.

Exemplum Sophisticum ad cautelã hujus modi;
Si leo est homo est animal,
Sed leo non est homo, E.
Leo non est animal.

Sophisma subesse, tùm patebit, si remeabit ad syllogismum categoricúm, ubi in primâ figurâ minor negabit. Polanus l.1.syntag.cap 76.putat,ab antecedentis sublatione tamen rectè sequi posse eversionem consequentis, & pro se addúcit exemplum illud Jeremiæ, si poterunt mensurari cœli &c.ego obliviscar semen Israel: sed non poterunt mensurari cœli,Ergò non obliviscar.Resp. hanc consequentiam solùm materialem esse,constat, quia in simili argumentandi ratione ex vero elicit falsum, e.g.
Si servabitis legem, justificabimini,
Sed non potestis servare legem. E.
Non justificabimini, quod Heterodoxum vel ipso Polano teste.

Cautela 3. à destructione consequentis ad eversionem antecedentis V.C. Fraudulenta verò est consequentia,quæ consequens ponit, ut antecedens ponatur, e. g.
Si asinus est homo, est animal.
Sed asinus est animal. E.
Asinus est homo.

Revoca ad limam syllogismi categorici & videbis

bis ſecundæ figuræ ſyllogiſmum ex meris ajentibus conflatum. Hæc ita vulgo ſunt notiſſima, ſequitur:

§. 73. Παρέκβασις: *quomodo id accipiendum, quod dici ſolet, conditionem nil ponere in eſſe?*

Reſp. Conditionales propoſitiones ſunt in duplici differentiâ 1. *habent præfixam conditionem poſſibilem, eamque ita comparatam, ut potentia cum ſuo actu,* quod eſt in propoſitionibus cauſalibus ut, ſi ſol lucet, dies eſt, æquivalet huic, quia ſol lucet, dies eſt. Vel 2 potentia nondum quidem eſt actuata, neceſſariò tamen aliquando in actum ducetur. Vel 3. potentia contingenter ſe habet ad ſuum actum. In primo caſu conditio aliquid ponit in eſſe actu, e.g. ſi ſol lucet, dies eſt, id eſt, ſol lucet, & dies, eſt, utrumque actu. In ſecundo, conditio ponit aliquid in eſſe potentiali, ex.gr. ſi mundus annihilabitur, omnes mortui reſurgent, utrumq; eſt verum in potentiâ. In tertio caſu, ponit aliquid, ſed ſolùm probabiliter, ut, ſi Johannes diligenter libris incumberet, fieret doctor. Vel ſecundò, *conditio eſt impoſſibilis*, idque rurſus trifariam, 1. in propoſitione merè rhetoricâ, quæ præter affectum nihil exprimit, quâ volumus (voluntate incompletâ, uti eam appellat Cl. Horneius l. 3. (*D. C.* 4.) impoſſibile ſub conditione poſſibilitatis, e g. ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. optârim ego anathema eſſe pro fratribus, ſubaudi cum Origene, εἰ δυνατὸν, confer Exod. 32. 31. Hujusmodi orationes rhetoricæ nil ponunt

in eſſe,

in esse, immò nec ad logicas enunciationes reduci possunt, & sunt neque veræ, neque falsæ. II. *Conditio impossibilis est in propositionibus logicis,* iisque rursus vel naturam rei exprimentibus: nam, ut philosophi accuratius rei naturam investigarent, casibus sæpe utuntur impossibilibus e.g. quamvis sit ἐκ τῶν ἀδυνάτων terram abstrahi à suo centro, tamen, quia, si abstraheretur, moveretur naturaliter ad illud; Ex eo optimè colligimus, terrã esse gravem; sic quæritur, utrum, si daretur vacuum, corpus per illud moveri posset? utrum, cessante motu cœli, desituræ sint generationes & corruptiones? si quis esset vicinus soli, num sentiret calorem? si aliqua pars cœli à toto abstraheretur, & poneretur in inferiori mundo, quiesceretne, an moveretur? &c. In Aristotele legimus ejusmodi exemplum, l.2. de Cæl. c.2. ubi asserit, motum primi mobilis incipere ab ortu, subintellige, si inciperet, secus enim sibimet palinodiam caneret, sensus est, natura cœlestis motus est incipere ab ortu. Ad hanc classem referimus illam propositionem legalem, si servabis mandata, vives in eis, id est, ea est natura mandatorum, ut, qui ea perfectè servat, in eis vitam habeat. Hujusmodi conditiones ponunt aliquid in esse quoad propositionem majorem, quæ est sedes consequentiæ, non quoad minorem, e.g.

Quicquid movetur ad centrum, id grave est.
Terra movetur ad centrum. E.

Item

Item *Q. motu cœlum incipit, ille est ab ortu.*
Sed incipit motu primi mobilis. E.

Item *Quicunque servat mandata, in eis vivet.*
Sed Pharisæus servat mandata. E.

In his omnibus minor falsa est, major verissima, Vel III. absolutam negationem inferentibus, & tunc conditio non ponit aliquid in esse, sed in non esse. De his extat regula apud Keckermannum, conditio impossibilis æquipollet universaliter neganti, ut, si cœlum digito tetigeris, desponsabo tibi filiam, id est, nunquam tibi desponsabo filiam. Atque hæc hactenus.

ARTICULUS IX.

Agitur de erroribus, quibus syllogismi copulativi & disiunctivi sunt obnoxij.

§. 74. Syllogismos copulatos ajentes nullos esse, in confesso est apud omnes Logicos. An tamen dentur syllogismi copulati negantes, controversia est? negant Ramæi quidam, quia ejusmodi ratiocinia commodè referri possint ad disjunctiva argumenta: æquivalent enim hæ duæ, nō & dies est & nox est; item, aut dies est, aut nox est. Contra, Copulativâ existente verâ, potest disjunctiva esse falsa. E. non æquipollent; Nam vera hæc est; Non & Petrus edit aut bibit; falsa illa; Petrus aut edit aut bibit, datur enim tertium: & ratio est in promptu, quia ad disiunctionem requiritur membrorum sufficientia, ad copulativam

satis

ſatis eſt, ſi ſe membra excludant, & ſimul ſtare nequeant. Objicis, poſſe propoſitionem copulatam commodè referri ad hypotheticam negantem. e. g. non, ſi homo ambulat, ſedet. Reſp. 1. aliquando id fieri poſſe, ſed nõ ſemper; Nam hæc hypothetica vera eſt: Non ſi animal eſt, illicò eſt lupus: at hæc copulata falſa eſt: Nõ & animal eſt & lupus, poteſt enim eſſe utrumque. 2. ex majori hypotheticâ negante, nihil formaliter ſequitur, at ſequitur aliquid ex majore copulatâ negante. Unde conſtat, non eſſe inter ipſas abſolutam æquipollentiam. Cautela una: A negatione unius ad alterius affirmationem Sophiſtæ procedunt, non Logici. Ergò malè ſequitur:

Homo non & equus eſt & leo,
Sed homo non eſt equus, E.
Homo eſt leo.

De vitiis diſiunctivi antequam diſpiciamus, enodanda prius duo veniunt, 1. quid differat propoſitio diſiunctiva à diviſione? 2. quæ diſiunctiva vera æſtimetur, quæ falſa? Reſp. ad 1. differunt his modis 1. diviſio ſubjectum præponit diſiunctivæ notæ, e. g. animal aut homo eſt, aut beſtia, diſiunctiva poſtponit. 2. diviſioni competit quantitas, non item diſiunctioni. 3. in diſiunctis pars altera repugnat antecedenti, in diviſione neutrum repugnat; atque ideò, 4. in diſiunctivâ pars altera vera eſt ſeorſim, at in diviſione neutra ſeorſim vera eſt. Reſp. 2. Vera eſt illa diſiunctiva, cujus una ſolùm pars eſt vera: Nam diſiunctionis natura vult,

ra vult, ne plures partes ſimul ſint veræ; falſa, cujus utraq; pars aut falſa eſt, aut vera. Objicis exempla, quæ ex communi loquendi conſuetudine deducit Fonſeca l.3. c.17. in quibus utraque pars vera, e. g. aut Clodius fecit inſidias Miloni, aut Clodio Milo: aut Demoſthenes eſt perfectus orator, aut Cicero; Ubi duo vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. In quibus enunciatis non licèt unum ponere & alterum tollere. e. g. Atqui Clodius fecit inſidias, E. Milo non fecit. Atqui Demoſthenes eſt perfectus Oratot, E. Cicero non eſt. Deus erit præſens vel duobus, vel tribus. Atqui duobus, E. non tribus. Reſp. Utut hæc ſeorſim vera ſint, tamen quando diſiunctivè enunciantur, tunc alterutram falſam eſſe ex hypotheſi intelligitur, cæteroquin ineptæ futuræ ſunt diſiunctiones, hoc modo Demoſthenes eſt perfectiſſimus orator, ex hypotheſi, ſi Cicero non ſit. Rurſus. Clodius fecit Miloni inſidias, ex hypotheſi, ſi Milo eaſdem non ſtruxit Clodio. Item, Chriſtus præſens erit duobus, poſito quod tres non adſint, poſitâ autem hac ὑποθέσει, non debet unum poni & alterum tolli.

§. 75. Cautela 1. in diſiunctivo major ſit expers omnis negationis, aut fraus parata eſt. e. g.

Aut homo eſt corpus, aut non eſt leo,
Sed homo non leo. E.
Homo non eſt corpus.

Ratio eſt, quia talis propoſitio æquipollet affirmanti hypotheticæ, huic ſcilicet, ſi homo eſt leo utique

utique etiam est corpus. Sed assume sis, homo non est leo, argumentaberis à destructione antecedentis, quod ἀπιλλόγιστον. Cautela 2. in disiunctivo semper proceditur à remotione unius ad alterius positionem, aut vice versâ, à positione unius ad remotionem alterius. Quare ineptę sunt hæ ratiocinationes:

Imagines aut nō sunt colendæ, aut sunt colendæ,
Sed non sunt colendæ. E.
Sunt colendæ.

Item: *Sol calefacit, aut quia igneus est, aut quia non est igneus,*
Sed calefacit quia non est igneus. E.
Calefacit, quia est igneus.

Item: *Aut homo es, aut non es homo,*
Sed es homo. E.
Non es homo.

Nam in his utrumque ponitur, (non affirmatur sed) repetitur, prout erat positum in majori. Hîc hallucinari oportet, quibus idem est, ponere & affirmare; tollere & negare. Cautela III. Ad consequentiam bonam in disiunctivo requiritur plena enumeratio, & proinde immediata oppositio; Si enim fuerit mediata, à positione quidem ad remotionem valebit consequentia, non contra, e.g.

Aut peccata fiunt Deo volente, aut nolente.
Sed non fiunt nolente. E. volente.

Item: *Aut lapis videt, aut est cæcus,*
Sed non cæcus. E. videt.

Interea

interea consequentia justa est, à positione ad remotionem, ut:

Aut mihi continget felix audacia salvo,
Aut mors solliciti finis amoris erit.
Sed mihi continget felix audacia salvo,
Non mors ergò mei finis amoris erit.

Non autem sequitur:

Non mors solliciti finis amoris erit,
Ergò mihi eveniet felix audacia salvo.

Reductio, quod tertium erat quæsitum, facilis est, modo membra disiunctionis in majore de se invicem negentur, si positum sit antecedens: aut affirmentur infinitè, si positum fuerit cõsequens e.g. pro hoc disiunctivo, aut homo substantia est, aut accidens, sed non est accidens E. substantia, dicere licet.:

Omne accidens est substantia,
Homo est non accidens, E.
Homo est substantia.

Item: *Nullus dies est nox,*
Hoc tempus dies est, E.
Hoc tempus non est nox.

ARTICULUS X.

Agit de consequentiâ Enthymematis, Inductionis, & Exempli.

§. 76. Sophismata hîc vel rara occurrunt, vel ita comparata sunt, ut aut facile solvi queant, aut aliorsum reservanda sint. Quibus tamen omnibus obviam ibis, si ex his argumẽtandi formis integros

tegros struxeris syllogismos, ut consequentia fiat evidens, (unde jure in colloq. Ratisbon. petiit D. Hunnius à Tannero Enthymematis majorem suppleri: nam major plerumque est sedes consequentiæ) Inductionem sophisticam esse, si ex insufficienti partium enumeratione procedat, clarius est, quam meridies, cum sudum est. Exempli fallaciæ pertinent ad locum topicum, qui est de similibus. Solùm nunc paucis est agendum de usu Enthymematis, inductionis & exempli. Igitur usus Enthymematis est quidem probativus, qui è notis ignotum elicit, sed adhibetur 1. potissimùm ab oratore: 2. philosopho, etiam in per se manifestis, ubi consequentia liquida est; cum otiosum sit, instrumentum syllogismi semper fatigari; satis enim est dixisse, scriptura hoc asserit, Ergò verum est, cum hanc majorem nemo sit inficias iturus. Quicquid scriptura asserit, id verum est. II. Usus exempli magis est illustrativus, quam ut aliquid probet. III. Inductionis usus itidem non est probativus, aut noti ex ignotis eductivus, sed solùm anteà noti manifestativus: non rem anteà prorsus ignotam elicit, sed obscurum per exempla; totum per suas partes declarat, perinde ut expositio, quam ideò etiam aliqui à syllogismo sequestrarunt, de cujus natura est, connexionem aliquam prorsus antea ignotam producere. Nam scientia aut est viâ inquisitivâ invenienda, aut inventa aliis viâ auscultativâ proponenda. Neutrobique ignotum notificat: non illic, quia in-

ductio perfecta fermè impoſſibilis eſt. Imperfecta verò nihil probat. Nam universa ſingularia ſunt impoſſibilia numeratu, quis enim perſuadebit Æthyopi dari homines albos? aut Indis barbatos; inquit Hurtad. diſput.2. ſumm. f.6. §.25. Et ſane inductioni non facile fides adhibetur, niſi aliunde ex principio aliquo talis concluſio fluat ex. gr. Monarchia Babylonica luxu periit, Græca itidem eodem diſparuit, Perſica in voluptate obiit &c. Ergò omnis Reſpubl. voluptatibus dedita peſſum ibit. Inductio eſt, ſed enervis, niſi aliunde connexio illa interitus cum Repub. voluptuosâ demonſtretur, nimirū ex causâ, quæ eſt virium debilitatio, legum neglectus, armorum deſuetudo &c. ſi, ſecundò, ſcientia inventa aliis eſt proponenda, ibi conſtat rem ignotam non doceri, aliàs ſcientia nondum eſſet inventa, ſed obſcuram ſolùm per exempla declarari. Nec obſtat 1. omne notius habet reſpectum ad aliquid ignotum. Partes ſunt notiores, E. concluſio inductionis eſt ignota, non ſolum obſcura. 2. ſi argumentum à partibus ad totum nihil probat, nihil etiam probabit ſyllogiſmus à toto ad partes ex vi dicti de omni procedens. Reſp. 1. notum eſſe, aliquando opponitur ei, quod obſcurum, aliquando ei quod ignotum eſt, ſicut & latentia juxta Averroem l.4. de cœl. t.22. alia eſt, quæ ſyllogiſmo, alia quæ inductione eget. major igitur cum diſiunctione accipienda eſt, omne notius habet reſpectum, vel ad prorſus ignotum, vel ad obſcu-

obscurum. ad 2. concedimus syllogismos à toto ad partes procedentes nihil de novo probare, sed solùm id, quod obscurum est explicare. Unde vox syllogismi sumitur in genere pro quovis argumēto ex dicto de omni & nullo procedente, sive ignotum notificet, sive obscurum solum declaret, hoc sensu syllogismi nomine veniunt argumenta à toto ad partes, & vicissim expositiones, & singulares syllogismi, qui omnes prorsus ignotum non eliciunt, sed solum obscuritati lucem affundunt. Vel sumitur strictè, & magis accommodatè ad finem logicæ, qui est, veritatem antea prorsus ignotam ex suis principiis elicere, atque ita solus syllogismus demonstrativus est propriè & excellenter syllogismus, & discursus à noto ad ignotum. Nam connexiones ex primo modo dicendi per se suâ luce radiant, & cum sint im̄ediatæ, demonstrari non possunt: at verò connexiones ex secundo modo per sua principia demonstrari debent. Unde & liquet, quo sensu inductio (cui minor propositio identitatem totius cum partibus exprimens, addita est) syllogismus dici possit, quò non possit?

ARTICULUS XI.

Sophismata soritica aperiuntur.

§. 77. Vocatur hæc argumentandi ratio tela Penelopes à Cicerone, quia quasi texitur & retexitur, juxta interpretationem Hotomanni, l. 4.

dial.14. Nam ejus genus duplex eſt, unum in aſcẽſu, alterum in deſcenſu. Veteres ſoriten retulére inter captiones ſophiſticas, quia, ut explicat Biſciola tom.2. l.5. ſubſ. cap.8. in hoc minuto ac nimis incitato progreſſu, ſæpe ineptæ propoſitiones cùm aptis, veræ cum non veris permiſcentur, quæ in illo diſputandi calore non facile dignoſcuntur, e.g. hæres eſtne ſucceſſor? certè, quid verò? nonne & legatarius ſucceſſor? planè. Titius autem eſt legatarius: ſucceſſor igitur, E. & hæres, quia ſucceſſor. Verum enim verò bonam habet ſorites conſequentiam, ſed materialem ſolùm, fundatur enim vel 1. in loco totius univerſalis e. g. logica eſt ars, ars eſt habitus, habitus eſt qualitas; vel 2. in loco cauſarum, fundata in illâ maximâ, cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati. e.g. avaria eſt cauſa audaciæ, audacia eſt cauſa omnium ſcelerum, E. avaritia eſt cauſa omnium ſcelerum. 3. in loco, uti vocant, connexorum, quicunquè eſt bonus politicus, ille eſt vir prudens: qui eſt vir prudens, ille etiam eſt virtuoſus, qui eſt virtuoſus, ille abſtinet à bilingui mendacio &c. E. qui eſt bonus politicus, ille abſtinet à mendacio. Vitia ſoritæ deteguntur 1. reductione ad ſyllogiſmum aliquem vel ſimplicem, ſicut modum oſtendit Scheiblerus, tr. ſyllog. cap.13. num.82. vel conditionalem, ut vult Fonſeca, l. 6. cap. 5. qui auctores conſulendi ſunt. 2. reſponſione ad materiam per limitationem illius canonis topici in quo ſe fulcire ſolent, ex.gr. ex malis moribus bo-

næ leges natæ ſunt, bonis legibus eſt parendum, E. malis moribus eſt parendum. Item qui bene bibit, bene dormit &c. Reſp. Canon. qui ſic habet: cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, intelligi debet ſolùm de cauſis per ſe: unde quæ conſequentiæ ex cauſis per accidens fluunt, illæ malâ fide ambulant.

ARTICULUS XII.

Artificium ſolvendorum ſophiſmatum Modalium primò ad leges methodi Ariſtotelicæ explanatur,

§. 78. Sunt qui doctrinam ſyllogiſmorum modalium tanquam prorſus inutilem, ſpinoſam & in græcâ ſolùm linguâ uſitatam inſuper habendam eſſe contendunt. Sed niſi horum cauſam perorer ſimplicitas, nonnihil ſe cujusdam ignaviæ reos agunt. Cur enim hęc doctrina negligenda, quia difficilis? imò propterea nihil eâ habendum eſſet antiquius, ut è viâ confragosâ tandem plana redderetur, quæ enim hæc vulgi dementia eſt, ut:

Ne verum agnoſcat, diſcere poſſe neget?

Verùm nego difficilem eſſe, ajo expeditam, ſi quæ mox tradituri ſumus obſerventur. Non hîc Nihuſii octennio opus, per quod ſuper hâc doctrinâ ſudetur, ſed ain' eſſe inutilem? Nego, obſervamus enim hac parte multis labare genua. Audivi, qui nollent ſyllogiſmum ejuſmodi admittere,

quia modalis ſit. γελοῖον λήρημα! quæ enim hæc audacia eſt, opponenti ſuo velle leges ferre, ne alia parte eum oppugnet, niſi quâ ſe probè jam ante muniverit; quin potius, ut athletæ, ita opponenti adoriri te licet, ubi & quâ parte lubet. ſed eſto, nulla ſit alia hujus ſcientiæ utilitas, vel ſola cavillationis fuga ſatis eſſet. Nuſpiam enim piraſta circumvenire logicæ ignorantem poſſet felicius, quam hâc ipsâ doctrinâ, à quâ conſtat plures difficultates abſterreri, præſertim tùm, ſi in θέσει tuam propoſitionem aliquam modalem poſuiſſes, quæ tibi tutanda eſſet, niſi velles cadere causâ.

§. 79. Duæ autem viæ ſunt, quibus modaliter argumentari ſolemus. Una tritior & antiquior, altera à prædonibus veritatis tutior ac recentior: ad utramque erimus ὁδηγοὶ, & ne canitiem videamur aſpernari, viam antiquam prius monſtraturi ſumus. Ariſtoteles illius viæ inventor, modos non reliquit in ſuis ſedibus, ſed præponit dictis integris, atque terminos diſponit ſecundum tres figuras. Modales ipſi ſunt duplices, puri alii, & quaſi uniformes, alii mixti, & quaſi difformes, de utroque genere multa pertractat philoſophus, quæ nunc in compendium redigemus: omittit autem mixturam poſſibilis ac impoſſibilis, fortaſſis, quod hæc ex miſturâ neceſſarii & contingentis ſatis intelligi poſſit, ut cenſet Dn. Jac. Martin. l. 4. inſt. log. c. 22.

§. 80. Regula Ariſtotelis 1. eſt. Ex puris neceſſa-

cessariis sequitur conclusio necessaria in omnibus figuris. Contra existimat Dn. Jac. Martini, hunc canonem non invenire locum in tertiâ figurâ, ut male inferatur:

Necesse est omne corpus esse quantum,
Necesse est omne corpus esse substantiam, E.
Necesse est quandam substantiam esse quantam:

Conclusio est falsa, quia affectio speciei de genere prædicatur contingenter. Unde conqueritur Corn. Martin. anal. c. 4. de Ramo, cum loquitur: magnum esse argumentum absurdissimi hominis, quod cum haberet in modalibus, quod rectè posset refutare; illa tamen quæ verissima tradebantur, in quibus puer deprehenderetur, arrodere maluerit. Nihilominus adhuc est in mundo responsio, quæ Aristotelem juvet, scilicet dicatur, compositam modalem mutandam esse in divisam, hoc modo:

Omne corpus necessariò est quantum,
Omne corpus necessariò est substantia, E.
Quoddam quod est necessariò substantia, est necessariò quantum.

2. Ex puris cotingentibus in omnibus figuris sequitur conclusio contingens. Obstant hæc exempla:

Contingit omne currens esse hominem,
Contingit omne rationale currere, E.
Contingit omne rationale esse hominem, quod oppidò falsum, quia necesse est rationale esse hominem.

2. *Contingit nullum medicum esse hominem,*
Contingit Petrum esse medicum. E.
Contingit Petrum non esse hominem.

3. *Contingit omnem vigilantem esse hominem,*
Contingit omnem vigilantem esse bestiam. E.
Contingit bestiam esse hominem.

Sed nec hic Oedipo opus; ut vel Davus sufficiat. Respondeo igitur ex mente Aristotelis 1. modum præpositum dicto non facere discrimen à modali divisâ: E. ad hanc reduci, exq; eâ judicari, sophismata debent. Fac igitur 1. propositionem majorem divisam, & tùm in propriâ suâ facie apparebit falsitas; Nam falsum est, Omne currens contingenter esse hominem, cum ipse homo sit currens, Ergóne homo contingenter erit homo? 2. Vox contingit vel sumitur sensu Aristotelico in genere, pro omni eo quod aliquàndo fit, vel fieri potest, ita ut τὸ ἐνδέχεσθαι comprehendat & τὸ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ μὴ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ δυνατὸν l. 1. prior. anal. cap. 3. vel in specie, pro modo affirmativo significante rem ita non esse ut, possit non esse Hæc ambiguitas in doctrinâ modalium Aristotelicâ probe est observanda; quamvis igitur sensu posteriori conclusio sit falsa, sensu priori, quid vetat concedere? Ad II. exemplum Resp. quatuor in eo esse terminos, quid igitur mirum, si è camarinâ fluant sordes? Fac enim modales divisas, e.g.

N. Medicus est contingenter homo,
Petrus est contingenter medicus. Ergò &c.

Ecce; aliud eſt medicus, aliud contingenter medicus. Ad III, Reſp. majorem divisè ſumtam eſſe falſam, ſimiliter ut in primo exemplo. Unum adhuc objici poſſet, ex puris particularibus nihil ſequi, puras contingentes eſſe puras particulares; Ergò. Reſp. negando, contingentes ſimpliciter æquipollere particularibus; quia aliud eſt particularitatem temporis, aliud ſubjecti inferre; poteſt enim propoſitio univerſalis habere materiam contingentem. III. In mixtis ex unâ modali alterâ abſolutâ ſeu de ineſſe, talis ſequitur concluſio, qualis eſt propoſitio major: l. 1. prior. c. 9. ratio; quia quam affinitatem habet major terminus cum medio, eandem propter medium habet cum minori. Vera eſt hæc regula, ſi Pacio credimus, tùm, ſi majore exiſtente neceſſariâ, minor abſoluta ſit univerſalis: ſi autem minor ſit vera aliquo ſaltem tempore, fallit. Obnunciant regulæ exempla nimis clara, quale eſt,

Neceſſe eſt omne riſibile eſſe hominem,
Quoddam album eſt riſibile. E.
Neceſſe eſt quoddam album eſſe hominem.

Unde, ut tutior ſis, hâc te regulâ munit Cl. Dn. Jac. Martin. l. 4. Inſt. log. c. 9. In omnibus figuris cum altera eſt neceſſaria, altera de ineſſe, ſemper vi formæ ſequitur concluſio de ineſſe. Nihilominus eſt & alia reſponſio in mundo pro Ariſtotele, pro quo facit dictum de omni, ex quo talis conſequentia fluit, cujus virtute quicquid tribuit major medio, idem etiam tribuit minori: unde

Resp.1.ad exemplum supra allegatum;conclusionem veram esse; Nam propositio particularis exponitur disiunctivè,hoc modo,vel hoc,vel illud, vel istud &c. album est homo: Atqui verò necesse est, vel hoc, vel istud, vel illud &c. album esse hominem. Objicis: atqui fieri potest,ut nullum album sit homo,si scilicet omnes homines fierent Æthiopes. Resp. ex hoc illud solum probatur, conclusionem illam,quatenus est enunciatio,extra syllogismum esse posse contingentem, sed in syllogismo, ex hypothesi, quod minor sit vera & concessa, illa non potest non etiam esse vera. Nam in tali casu, si omnes homines essent Æthiopes,tunc nec minorem concedere fas esset,quid igitur mirum, si sequeretur conclusio falsa? videatur Monlorius in schol.ad l.I.prior.c.9.

§. 81. In mixtione ex alterutrâ contingenti, alterâ de inesse, sequitur conclusio contingens, ratio; quia ut in demonstratione talis est nexus conclusionis, qualis est in majori, non qualis est in minori, ita & hic. Obstat primo membro hoc exemplum:

Contingit omne bipes esse hominem,
Omne animal rationale est bipes, E.
Contingit omne animal rationale esse hominem.

Resp. est eadem ambiguitas in voce contingit, quæ supra. V. In mixtione ex alterâ necessaria, alterâ contingenti sequitur conclusio contingens, non de inesse, quia aliàs fieri potest, ut ex vero sequatur falsum, e.g.

Necesse

Necesse est nullum hominem esse equum,
Contingit omne currens esse equum, E.
Nullum currens est homo, cum concludendum fuerit, E. *contingit nullum currens esse hominem.*

3. Vitia secundæ & tertiæ figuræ per reductionem ad primam figuram facile innotescunt, unde in his nolo esse operosior. Hæc ita secundum methodum Aristotelæam dixisse sufficiat.

ARTICULUS XIII.

Recens artificium solvendi sophismata modalia longè facilius & expeditius.

§. 82. Hoc omnium primò constare oportet, modalium compositarum idem esse judicium cum modalibus divisis, neq;, quantum hoc attinet, inter ipsas discrimen constitui debere, quod est contra Nihusium, qui operosus est in hoc discrimine assignando, & seorsim judicium de utraque informando; quid modalis composita sit, quid divisa, è libellis & compendiis logicis patet. Hæc scilicet composita, ignem ustivum esse necesse est: hæc divisa, ignis necessariò est ustivus. Probatur autem nostra assertio 1. ex ratione. Modalis composita nihil notat nisi nexum esse taliter vel taliter modificatum, unde Fonseca statuit copulam esse in eâ subjectum. Quæro autem, cur nexus ille sit necessarius? aut quia tu dicis talem esse, contra l. 9. metaph. c. ult. aut quia jam ante est

est necessarius, hoc posterius utique, E. idem est dicere, hominem esse animal necesse est, sive hæc propositio, quæ asserit hominem esse animal, necessaria est, ac si diceres, homo necessariò est animal. 2. ex evidentia propositionum modalium divisarum, quæ major in his est, quàm in compositis. Atq; ut syllogismi imperfecti secundę & tertiæ figuræ per reductionem ad primam figuram examinantur; ita etiam syllogismi modales compositi suam evidentiam sortiuntur ex revocatione ad modales divisos, e.g. compositus est:

Necesse est, omne risibile esse hominem,
Quoddam album est risibile. E.
Necesse est quoddam album esse hominem.

Divisus verò longè evidentius & clarius δοκιμασίαν dicti de omni assequitur sub hâc forma:

Omne risibile necessariò est homo,
Quoddam album est risibile. E.
Quoddam album necessariò est homo.

3. ex mente Aristotelis, Nisi enim hoc voluisset ipse, syllogismos modales dijudicari debere per reductionem ad divisos, regulas posuisset plerasque irregulares, & nihil minus quàm τὸ κατὰ παντὸς habentes, ut supra aliquot exemplis constitit: suo tamen consilio dictis semper præfixit modos.

§. 83. Ex adverso instat Nihusius afferendo exempla, quæ iisdem servatis terminis modales compositos constituunt veros, divisis existentibus falsis, hinc concludit: Quæcunque propositio

ſitio ut compoſita verum dicit, ut diviſa abit in falſitatem, ea non poteſt ſubire idem judicium logicum. Id verò ita ſe habere, confirmatur totâ exemplorum ſtrue:

1. *Contingit omne animal eſſe hominem.*
2. *Omnem numerum eſſe imparem non eſt neceſſe.*
3. *Omne ens hodie exiſtere non eſt contingens.*
4. *Omnem partem hominis eſſe corpoream eſt impoſſibile.*
5. *Contingit nullum hominem eſſe album.*

Vera hæc omnia:

Omne animal contingenter eſt homo,
O. numerus neceſſariò non eſt impar.
Omne ens hodiè contingenter non exiſtit.
O. pars hominis ἀδυνάτως eſt corporea.
N. homo eſt contingenter albus.

Falſa omnia.

II. Objicit Nihuſius, compoſitam ſæpe habere duplicem ſenſum, diviſâ unum ſolum obtinente, quomodo igitur quæ ſenſu differunt, eidem judicio ſubjicientur? e.g. quoddam animal eſſe hominem, neceſſe eſt, bifariam hoc poteſt intelligi, 1. quoddam quod eſt animal eſſe hominem, qui ſenſus eſt verus. 2. neceſſarium eſſe, ut ſit aliquod animal, quod homo ſit. At hoc falſum. quia ante ſextum diem creationis fuit animal, nondum exiſtente homine. Intereà diviſæ hujus (quoddam animal neceſſariò eſt homo) ſenſus unus eſt. Idem etiam evenit in his exemplis: quandam ſubſtantiam eſſe leonem contingit. Nullum animal

eſſe

esse equum est impossibile. Ad 1. Resp. 1. in genere. Non est mirum, si diversus sensus oriatur, quando suppositio terminorum mutatur; Quemadmodum enim hæc vera est: Non omnis pars hominis est corporea; hæc falsa, Omnis pars hominis non est corporea; neque tamen ideò toto genere diversum judicium de iis instituitur. Ita 2. in specie in singulis positis exemplis variatur suppositio; Semper enim modalis ut composita componitur vel simpliciter, vel copulativè; ut divisa distributivè, illîc sine descensu, hîc cum descensu. Nam 1. contingit omne animal esse hominem, omne animal hic non sumitur distributivè, darem alias has instantias, Petrus est animal, E. contingit Petrum esse hominem; Item, asinus est animal, E. contingit asinū esse hominem. Utrumque falsum, quia neutrum contingit, sed prius necesse est, posterius impossibile. Quod si igitur eam transmutare coneris in divisam, hoc omninò sensu verissima erit: Omne animal (scilicet præcisè ac simpliciter sumtum, prout abstrahit ab hoc vel illo animali) est contingenter homo, quod quidem verissimum est; sed inde nihil tibi licet inferre, quia non licet descendere, ex quâ autem propositione non permissus est descensus; ea inepta est ad syllogismi propositionem majorem; sicut enim non sequitur, animal est genus respectu hominis & bestiæ: homo est animal, E. Homo est genus respectu hominis & bestiæ. Ita male infertur, O. animal (sc. præcisè sumtum) est con-

contingenter homo. Homo est animal, E. homo est contingenter homo. ad 2. Omnis numerus vel ſumitur diſtributivè, & habet hunc ſensũ, hunc numerum (ſcilicet ternarium) eſſe imparem, non est neceſſe, hunc numerum (ſcilicet binarium) eſſe imparem, non eſt neceſſe &c. hoc ſenſu propoſitio compoſita eſt falſa, quid igitur mirum, ſi nec diviſa ſit melioris pretii? Vel omnis numerus ſumitur copulatè, hoc ſenſu, & hunc numerum, & hunc, & illum eſſe imparem non eſt neceſſe, id eſt, omnes numeros ſimul ſumptos eſſe impares, non eſt neceſſe, & hic ſenſus verus. Neque minus etiam verum eſt, omnem numerum, ſcilicet collectivè ſumtum, non eſſe neceſſariò imparem. Eadem reſponſio pertinet ad tertium quoq; & quartum exemplum. Quintum exemplum facilem etiam habet ſolutionem, ſi ob meliorem intellectum, pro τῷ contingit, ponatur poſſibile, pro nullus omnis non, & tunc hoc utrumque verum eſt. 1. poſſibile eſt, omnem hominem non eſſe album, 2. omnis homo poſſibiliter non eſt albus. Non enim negatio modo, ſed immediatè copulæ affigenda eſt, hinc fit, quod hic ſenſus: N. homo eſt poſſibiliter albus, falſus fit: hic verus O. homo poſſibiliter non eſt albus. Reſp. ad II. Fateor duplicem ſenſum in tali compoſitâ, idque eſt ex duplici acceptione copulæ EST, vel enim hęc notat exiſtẽtiam, hoc ſenſu neceſſe eſt, quoddam animal exiſtere in rerum naturâ, quod ſit homo: vel ſolam identitatem ſubjecti cum prædicato

dicato, hominem scilicet cum aliquo animali necessariò combinari. Ex utroque sensu modalis divisa intelligi potest, 1. Aliquod animal necessariò existit homo, quod falsum, quia nullum animal necessariò existit homo; immò homo ipse non necessariò est existens homo, quia ut actu sit è causis suis productus non est necesse. 2. cum aliquo animali necessariò identificatur homo, quod verum, si maximè nec homo, nec animal existeret. En igitur non minus divisa, quàm composita modalis illum duplicem sensum habet.

§. 84. II. Præcognoscendum est, modalem propositionem non differre specie ab absoluta, nec novis hîc opus esse præceptis, sed omnia se eodem habere modo, ut in syllogismis de inesse. Idque probatur 1. *ex identitate copulæ*, sicut hæ sequentes propositiones (Socratem esse animal verum est, multos imperitare malum est, Icarum volasse fabula est) vel modales sunt, vel certè modalibus æquè similes, ac lac lacti, aut ovum ovo; nihilominus omnium calculo eandem speciei naturam obtinent cum absolutis. 2. *Quicquid* pertinet ad determinationem prædicati, sive est pars prædicati, id non facit diversam speciei propositionem ab absolutâ; ratio, quia differentia solum erit materialis non formalis, per copulam enim solam formaliter una propositio ab aliâ distinguitur. Sed modus in modali divisâ est determinatio prædicati &c. Ergò. Minor probatur, quia 1. hæc, homo necessariò est animal, facit hunc

sensum,

sensum, homini animal necessarium esse: Quia 2. hęc propositio: Quicquid necessario urit est ignis; τὸ necessario est pars subjecti; idem ergò judicandū quoq; erit; si stet loco prædicati; aut detur ratio diversitatis? 3. Si τὸ necesse esset pars copulæ; tunc in cōversione deberet unà cum copulâ immotum stare. Atqui inepta foret hæc conversio: Omnis medicus necessariò est homo; Ergò Quidam homo necessariò est medicus. Quod falsum; cum fieri posset; ut nullus homo esset medicus; sic igitur convertendum fuerat: E. Quidam necessariò medicus est homo. Objicis 1 modus præfigitur copulæ, & afficit eandem, Ergò non est pars prædicati: 2. modali existente vera; ea; quæ est de inesse; potest esse falsa, Ergò specie differunt, e.g. hæc est vera: Contingit omnes homines canescere; hæc falsa, Omnes homines canescunt; Resp. 1. *negando consequentiam*, quicquid præfigitur copulæ, id non est pars prædicati. Quin potius; propter quod unumquodque tale, id ipsum magis tale est; & homo necessariò est animal; quia homini animal est necessarium, Ergò τὸ necessarium magis; & quidem primò; pertinet ad prædicatum: deinde modus afficit copulam, sed ut species suum genus, sicut unio perichoristica unionem simpliciter determinare solet, hoc tamē non obstante est pars prædicati. Resp. 2. non dicimus; nihil differre ab absolutâ modalem; sed speciē non differre, ita ut diversum de eâ judicium institui debeat. Non igitur mirum est, propositionem

V absolu-

absolutam esse falsam, quæ cum modo est vera, quia non sunt utrobique iidem termini. Imò in absolutis idem cõtingit, ut ea, quæ est sine modo, sit vera, cum modo falsa. e.g. Johannes studet, hoc potest esse verum absq; eo, quod studeat diligenter. Jam ordine subjicemus cautelas.

§. 85. Cautela generalis: Ἀσυλλογισίαι modales ex regulis generalibus suprà recitatis debent judicari, sed ita, ut modus semper apponatur prędicato in syllogismi talis examine, nam & hîc vitiosi sunt quatuor termini, puræ negativæ, vel purè ajentes in secundâ figurâ &c. Ecce tibi totam sophismatum phalangem:

1. *Impossibile est hominem esse lapidem,*
Impossibile est adamantem esse hominem, E.
Impossibile est adamantem esse lapidem.

2. *Impossibile est damnatos salvari,*
Necesse est Diabolos esse damnatos, E.
Necesse est Diabolos salvari.

3. *Impossibile est canem loqui,*
Contingit quoddam ambulans esse canem, E.
Necesse est quoddam ambulans loqui.

4. *Possibile est te edere,*
Necesse est Iohannem esse te, E.
Necesse est te edere, &c.

Hujusmodi fallaciæ facilè larvâ privantur, ut in nativa suâ imagine appareant. Nam Resp. fac ex modalibus compositis divisas, divisis semper appone modum prædicato, tùm semper quatuor deprehendes terminos:

Homo

Homo est ἀδυνάτως lapis,
Adamas est ἀδυνάτως homo, E.
Adamas est ἀδυνάτως lapis.

Ecce medius terminus in majori ponitur, homo, nudè, in minore cum προσθήκῃ impossibilitatis. Eodem modo:

Damnatos salvari impossibile est,
Diabolos esse damnatos necesse est, Ergò:
Diabolos salvari impossibile est.

Taceo, quod subjectum minoris nuspiam occurrat in præmissis.

2. In formâ divisâ:

Damnati ἀδυνάτως salvantur,
Diaboli necessariò sunt damnati, E.
Diaboli necessariò salvantur.

Utrobique quatuor terminos qui non videt, næ cæcutit. Gemina & simillima responsio est ad tertiam & quartam imposturam. Procede eodem modo, & verum me dicere depræhendes. Cautela II. *quo modo terminus aliquis modificatus fuit in antecedente, cum eo, & non cum alio, modificari debet in consequenti.* Quam enim vicinitatem habet major cum medio, eandem habet quoque cum minori in conclusione. Quare non meretur ἄπαντα ἐκτῷ regula illa Aristotelis, ex majori necessariâ minori contingenti sequi conclusionem cum modo contingit, (nisi τὸ contingit iterum latius interpreteris) secus ex veris sequitur falsum, ut, necesse est omne nigrum esse corpus, contingit aliquod ovum esse nigrum, E. contingit aliquod

ovum esse corpus. Atqui hoc necesse est. At instas, conclusionem debere sequi partem debiliorem. Resp. verum hoc solùm est de qualitate, & quantitate; non veritate aut falsitate, quia ex falsò potest sequi verum.

§. 86. Cautela III. *Qui terminus semel modificatus est, illum modificatum esse oportet, cum repetitur; nam secus nihil certius est, quam quatuor terminorum fallacia*, e.g.

Omne animal possibile est esse album;
Omnis homo est animal; E.
Omnis homo est albus.

Item: *Omne nigrum est corpus;*
Ovum possibile est esse nigrum, E.
Ovum possibile est esse corpus; atqui necesse est esse corpus.

Vitium luculentum est, nam quia modus est pars prædicati, E. τὸ possibile in minore non pertinet ad ovum, ut cum eo repetendum sit in conclusione, sed ad nigrum; qui terminus cum modificatus sit in minori, docuit etiam modificatum esse in majori, hoc modo: Omne, quod possibile est esse nigrum, est corpus. Ovum est possibile esse nigrũ, E. ovum est corpus. Quæ conlusio vera est. IV. *Qui terminus non modificatus fuit in antecedenti, ille nec cum modo efferri debet in conclusione*, ratio, quia quatuor termini erunt præsentissimi. e.g.

Quicquid necessariò est animal, id vigilat;
Homo necessariò est animal, E.
Homo necessariò vigilat.

Modus

Modus affigitur τῷ vigilare, quod abſque eo ponebatur in majore. V. *Minor propoſitio non poteſt formaliter modificari*, majore exiſtente ſine modo, aut enim modus ille erit pars ſubjecti, ſed tunc ſolum eſt modus materialis, non formalis, cujus exemplum præbet hic ſyllogiſmus;

Omne ambulans eſt animal,
Quoddam quod contingenter ſedet, eſt ambulans, E.
Quoddam contingenter ſedens eſt animal.

Minor quidem eſt modificata, ſed modo ſolùm materiali. Aut modus eſt pars prædicati, tùm erunt quatuor termini, nam terminus medius ponetur cum modo ſemel, ſemel ſine modo.

ARTICULUS XIV.

De ſecundariò, ut vulgò appellantur, modalibus.

§ 87. Eodem modo etiam aperiuntur nodi gordii, quos reduplicatio intorquet. Sed nota, quod 1. *Modus reduplicativus aut limitativus* ſemper apponendus ſit prædicato, probatur 1. ratione, quicquid exprimit rationem inhærentiæ prædicati ad ſubjectum, id referendum eſt ad prædicatum, non ſubjectum; ſed omnis limitatio ita ſe habet, Ergò 2. *à poſteriori* ex doctrinâ converſionis: ad hoc enim ſophiſma, cedò quid reſpondebis, ſi modus non pertineat ad prædicatum? Homo quatenus naſum habet eſt ſimus, E. quidam

ſimus eſt homo, quatenus habet naſum, quod falſiſſimum. Aut enim τὸ quatenus accipies reduplicativè, aut ſpecificativè, quicquid tanges, erit ulcus. Si enim ſumitur reduplicativè, hoc ſenſu, quoddam ſimum eſt homo, quia habet naſum, tùm hoc monſtrum prodibit:

Quod habet naſum eſt homo,
Quoddam ſimum habet naſum.
E. quoddam ſimum eſt homo.

Majorem tuam pro ſe etiam Aſini allegabunt. Si ſpecificativè, hoc ſenſu, quoddam ſimum eſſe hominem ſecundum illam partem, quà naſum habet, E. ſecundum alias partes non erit homo. uti enim homo ſimus eſt ſolùm ſecundum naſum, ita ſimum erit homo ſolùm ſecundum naſum. Hîc naſo Rhinocerotis opus. In quo igitur peccat converſio? in eo, quod totum prædicatum non locat in ſedem ſubjecti, hoc modo, E. quoddam ſimum, quatenus naſum habet, eſt homo. Unde fluit, limitationem illam pertinere ad prædicatum. 3. ab auctoritate Philoſophi, ſic enim ille ſcribit l. 1. prior. anal. c. 36. juxta Pacii ſectionem τὸ ἐπαναδιπλούμενον τῷ πρώτῳ ἄκρῳ προσθετέον, οὐ πρὸς τῷ μέσῳ, e. g. ſi concludatur, juſtitiæ ineſſe ſcientiam, quia bonum, illud, quia bonum, extremo jungendum eſt. Ita etiam monet l. 1. poſt anal. c. 4. non trigonum lineam per ſe habere, ſed trigono lineam per ſe ineſſe. II. *Quod minor propoſitio nunquam limitanda ſit, niſi ante limitatâ majore*: vel enim limitationem apponis ſubjecto, vel prædicato.

cato, si illud, damnaberis ex præcedenti cautelâ: si hoc, quatuor terminorum eris convictissimus, nam medium terminum cum modo enunciabis, qui in majore sine modo ponebatur.

§.88. Objicere quispiam posset, has duas cautelas sibi ipsis litem intendere, nam si minor non potest esse limitativa, nec major poterit esse limitativa: ratio, quia prædicatum minoris est subjectum majoris, at subjectum non potest limitari juxta regulam primam. Resp. 1. nego consequentiam, quia in secundâ figura, ubi idem prædicatum est in utraq; præmissâ, limitatâ minori, major, & vice versâ, limitari potest. 2. distinguēdum est inter limitationem materialem, quæ est pars subjecti, & formalem, quæ est pars prædicati, *quæ quomodo discerni debeant, id ostendit conversio, ex.gr.* quæritur in hâc propositione (*Quicunq; secundum humanam naturam sedet ad dextram Dei patris, is est ei æqualis*) τὸ *secundum, an sit limitatio formalis, an materialis?* Respondeo, esse materialem; nam si esset formalis, esset pars prædicati, & in conversione gigneret hunc absurdū sensum, E. quidam æqualis Deo Patri secundum humanam naturam, sedet ad dextram ipsius, atqui verò secundum humanam naturam nullum ens est æquale Deo patri, Ergò ita convertendum erat: quidam æqualis Deo patri est sedens ad dextram secundum humanam naturam, unde liquet, τὸ secundum esse limitationem solum materialem. Nunc distinctè respondeo, minor propositio nunquam in primâ

& tertiâ figurâ limitari potest limitatione formali, ratio, quia, qui terminus in majori non limitatus, ille nec in minori cum limitatione repeti potest; at prædicatum minoris in majori non potest limitari, quia in majori est subjectum, quod limitationem formalem respuit. E. Nihilominus minor in primâ figurâ limitari potest, modò præcesserit limitatio materialis in subjecto majoris. Quamobrē hic syllogismus absq; omni fuco est:

Quicunq; secundum humanam naturam sedet ad dextram Dei patris, is ei est æqualis,
Christus secundum humanā naturam sedet &c.
Ergò.

§. 89. Sequuntur Cautelæ I. Nullus terminus limitatè proponendus est, nisi prius limitatus fuerit in majori propositione. Abeunt ab hâc regulâ hi syllogismi:

1. *Omnis pater est à DEO*, Ephes. 3.15.
Diabolus quà mendax est pater, Joh. 8.40. E.
Diabolus quà mendax est à Deo.
2. *Q. sedet ad dextram Dei est patri ὁμοούσιος*,
Christus quà homo sedet ad Dextram Dei, E.
Christus quà homo est patri ὁμοούσιος.
3. *Corpus Christi est crucifixum*,
Corpus gloriosum quà tale non est crucifixum, E.
Corpus gloriosum non est corpus Christi.

Omnes hi peccant minorem limitando, non limitatâ prius majore. Igitur primus syllogismus ita corrigitur:

Omnis pater est à Deo quà mendax,
Diabolus est pater, E.

està

Est à DEO quà mendax. Probetur major!
Secundus jam supra correctus est.
Tertius ita ad lucem venit:

Corpus Christi est crucifixum quatenus gloriosum,
Corpus gloriosum non est crucifixum quatenus gloriosum, Ergò.

Cæcus sit qui majoris difformitatem non videat. Cautela II. qui terminus limitatus est in antecedente, ille idem (non alius) cum limitatione repeti debet in consequente, secus fiunt quatuor termini. Sophismata igitur sunt, quæ sequuntur:

1. *Nullum animal, dum dormit, vigilat,*
Omnis homo est animal, dum dormit, E.
Nullus homo vigilat.
2. *Christus quà Deus est æqualis Patri,*
Christus quà homo non est æqualis Patri, E.
Quidam æqualis Patri, non est æqualis Patri.
3. *Nulli renati quà renati peccant,*
Omnes baptisati sunt renati, E.
N. baptisati peccant.

Primus ita corrigitur:

Nullum animal vigilat dum dormit, nam quod limitatio pertineat ad prædicatum, docebit te conversio.
Omnis homo est animal. E.
Nullus homo vigilat dum dormit.

Alter,

Christus quà Deus est æqualis Patri,

Christus quà homo non est æqualis Patri, E.
Quidam, qui, quà homo, non est æqualis Patri, est æqualis Patri quà Deus.

Tertius,

Nulli renati peccant quà renati,
O. baptisati sunt renati, E.
N. baptisati peccant quà renati.

Eodem modo etiam in lucem protrahuntur, qui limitationem prorsus tacent, qualis est ille:

Omne volans est corvus,
Omnis cygnus est volans. E.
O: omnis cygnus est corvus.

Majorem hebes sit valde, qui concedat: nisi addas limitationem, scilicet ex hypothesi, omne volans est corvus si nihil aliud volet; jam assume, omnis cygnus & volans. Ergò (si nihil aliud volaret, quàm corvus) & cygnus volaret, utiq; cygnus esset corvus.

ARTICULUS XV.

Vitia exclusivi syllogismi lucem videre jubentur.

§. 90. Fallaciæ in hoc genere duobus modis detegi possunt 1. ex certis cautelis 2. beneficio expositionis. Utramq; viam præibimus. Sit ergò cautela I. de exclusivis subjecti, in quibus nota exclusiva non ponitur exclusivè. Cujus termini pars est exclusiva, cum eo semper illa repeti debet, & non cum alio, unde inepta hæc est sequela.

Qui solus omnia potest ille est Monarcha,

Rex

Rex Hispaniæ solus omnia potest, E.
Solus ipse est Monarcha.

Quia enim τὸ solus est pars medii termini, quâ specie juris incrustatur conclusioni? aut in quâ logicâ medium intrat conclusionem? II. de exclusivis in quibus nota sumitur exclusivè. Ex puris exclusivis licet argumentari, si suppositionis genus non mutetur. e. g. hæc argumentatio probæ est monetæ:

Solum rationale est risibile,
Solus homo est rationalis, E.
Solus homo est risibilis.

Nam 1. servatâ eadem formâ, nunquam ex vero elicit falsum. 2. fundatur in dicto de omni, nam ostendit, nihil sub rationali sumi posse, quin sit risibile: Hic verò syllogismus malæ est fidei:

Tantum animal est homo,
Tantum sensitivum est animal, E.
Tantum sensitivum est homo.

Quamvis enim conclusio vera sit, ut propositio, tamen non est vera, ut conclusio, quia ἀσυλλογίστως sequitur. Nam τὸ animal in majore supponitur simpliciter, ut vel non fas sit, aut certè solùm particulariter liceat descendere, id quod apparet ex expositione: in minore verò animal supponitur personaliter. III. Ex majore exclusivâ, minore ajente absolutè, nihil sequitur formaliter: nihil dico, id est neque absoluta neque exclusiva; non illa, quia obstant exempla,

Solus homo est medicus,

Cory-

Corydon est homo, E.
Corydon est medicus.

Item: *Tantùm animal est homo,*
Brutum est animal, E.
Brutum est homo.

Rursus: *Tantum corpus vivens, non est sensus expers,*
Omnis planta est sensus expers, E.
Planta non est corpus vivens.

Non exclusiva: præfigatur enim conclusioni primi & secundi syllogismi exclusiva, tum ineptitudinem videbunt, etiam, qui ollas lippiunt; Ratio quia quatuor sunt termini. Nam major propositio hunc habet sensum, Omnis non homo est non medicus: at assumendum erat, Corydon est non homo. Eodem modo etiam excipitur secundum sophisma. In tertio cum major terminus involvat exclusivam, cum eâ etiam redire deberet in conclusione, atqui sine ejus comitatu decipit. IV. Ex majore absolutâ & minore exclusiva sequitur conclusio absoluta non exclusiva, e.g.

Omne rationale vivit,
Solus homo est rationalis, E.
Solus homo vivit.

Item: *Omnes electi sunt vocati,*
Soli credentes sunt electi, E.
Soli credentes sunt vocati.

Rursus: *Quicquid est in domo, id est in urbe,*
Vnicus puteus est in domo, E.
Vnicus puteus est in urbe.

Ratio est, quia hujusmodi argumenta procedunt

à non

à non distributo ad distributum, nam in majore prædicatum τὸ vivit, non distribuitur, & tamen distributè effertur in conclusione. Placet ascribere judicium de his monstris Corn: Martini in anal: c.9 Non plus affinitatis majoris cum minore, medius terminus dare potest in conclusione, quàm ipse habet in majore. Cum enim medius terminus ita in majore propositione cohæreat cum majore, ut uni sibi totum prædicatum non vendicet, sed locum quoque det aliis, in minore verò idem terminus medius cum minore ita conjungatur, ut aliis locum non det, nihil ad majorẽ terminum tanta affinitas & constrictio minoris cum medio attinet; quæ etsi arctissima esset, nihil hoc ad affinitatem medii cum majori. V. Cui termino semel apposita est exclusiva, cum eo, & nõ cum alio, repeti debet, unde delitatur in hisce:

Verus homo est solus animal rationale,
Iohannes non est solus animal rationale, E.
Iohannes non est verus homo.

Item: *Verus DEUS est solus adorandus,*
Christus non est solus adorandus, E.
Christus non est verus Deus.

Resp. ad 1. aut enim τὸ solus refertur ad terminum medium, aut ad majorem: si ad illum; propositionis majoris falsitatem arguit, erit enim illa exclusiva prædicati, hoc sensu, verus homo est animal rationale, & nihil aliud, quod falsum, cum etiam sit vivens, Philosophus &c. si ad hunc, cum eo etiam repeti debet in conclusione, quæ legiti-

legitima talis prodibit, E. Johannes non est solus verus homo. Eadem responsione dimittitur secundum, Cautela VI, de secundâ figurâ: Ex majore exclusivâ, minore absolutâ nihil sequitur; e.g.

Solum animal est risibile,
Bestia non est risibilis, E.
Bestia non est animal, cum concludendum fuerat, E. *bestia non est sola animal.*

Reliqua eodem modo se habent, ut in figurâ primâ. VII. In tertiâ figurâ id observandum, quod in eâ ex puris exclusivis nihil sequatur. e. g.

Tantum animal est rationale,
Tantum animal est doctum, E.
Tantum est rationale.

VIII. de Exclusivis prædicati id solùm sciendum est, quod cum sint determinationes prædicati, absque eo nunquam repetendæ sint.

§ 91. Alter modus detegendi ejusmodi strophas, est per exponentes, quibus syllogismus exclusivus potestate duplex, actu in duos syllogismos resolvitur. e.g. pro hoc, omne rationale vivit, solus homo est rationalis &c. duæ exponentes afferuntur: primus ita habet:

Omne rationale vivit;
Homo est rationalis, E.
Homo vivit.

Alter: *Omne rationale vivit,*
Omnis non homo est non rationalis, E.
Omnis non homo non vivit.

Quos inter primus cōceditur; alter à consequen-

tiâ

tiâ justâ prohibetur, habet enim quatuor terminos, cum aliud ſit rationale ſimpliciter, aliud non rationale. Sic pro eo, quod in ſeptima cautelâ imponebat ſophiſmate, ſubſtitue exponentes, & prodibit hæc ſoboles:

Animal eſt rationale,
Animal eſt doctum, E.
Doctum eſt rationale.

Et altera ejus ſoror.

Omne non animal eſt non rationale,
Omne non animal eſt non doctum, E.
Omne non doctum eſt non rationale.

Ubi prior concludit ex meris particularibus, poſterior in tertiâ figurâ habet concluſionem univerſalem: quod utrumq; ἀσυλλόγιστον. Idem etiam judicium eſt de omnibus aliis excluſivis. Quin & de exceptivis. Nam hic etiam ſyllogiſmus vitioſus eſt, quia modum exceptivum non apponit majori termino:

Omne brutum ſentit,
Omne animal præter hominem eſt brutum,
E. *Omne animal præter hominem ſentit.*

CAPUT IV.

De Sophiſmatis materia.

ART. I. De Μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος.

§. 92. Hactenus de dolis actum eſt, qui non fugiunt vigilis ingenii ſubtilitatem, ſed in his, qui nunc ſequuntur ipſo Argo, qui totus perhibetur

oculeus

oculeus fuisse, circumspectiorem esse oportet: idque tantò magis; quia non possunt certæ & numero finitæ cautelæ præscribi, quibus vindicibus ictus sophisticos exire liceret; sed quia materialia sunt sophismata ex suis quæq; scientiis ubi nata sunt, petenda eorum est solutio. Cùm autem syllogismus secundum materiam bonus vel necessarius sit vel probabilis: duplicia etiã sunt vitia materiæ, unum oppositum syllogismo dialectico, alterum apodictico. De priori supra actum est; de posteriori adhuc superest, ut agatur. Omne omninò vitium materiæ, vel est ex principio falso; vel non proprio, sicut è contrario, omnis demonstratio est ex veris, primis, ac immediatis: Ex principio non proprio rursus bifariam; vel quia 1. est nimis commune; vel quia 2.° extraneum, de priori loquitur Aristoteles l.1. post. anal. cap.7. quando hoc nomine reprehendit probationem quadraturæ circuli à Brysone allatam: De posteriore in ejusdem capitis initio; quando μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος prohibet. De probatione ex principio falso seqlienti articulo agemus. Quantum attinet probationem ex principio communi, illa ideò ad demonstrationis dignitatem non accedit, quia non affert causam proximam ac immediatam; propter quam res sit; & cujus notitia intellectum planè satiet, omnemq; sciendi sitim extinguat, causa autem proxima & immediata non potest inveniri, nisi in eo genere, cui affectio inest non solum omni, & per se, sed

etiam καθ' ὅλυ atque primitate quâdam subjecti. hinc frustra quæsieris causam risibilitatis in anima sentiente hominis, cum hæc homini compe-tat non quà animal est, sed quà homo. Argumentum ejusmodi ex principio comuni hoc est, cum quis quærit, Quamobrem homo sit mortalis? tu respondeas, quia Deus voluit. Est hæc nimis remota causa; qui scientiam venatur, is nondum desistit quærere. Advertendum tamen est, licet demonstratio ex principio remoto non sit simpliciter ac potissima demonstratio, secundum quid tamen eam hoc nomine gaudere, quà de re legendus fuerit Zabar. l. de speciebus demonstrat. In scientiis enim mathematicis nihil frequentius est, quàm principiis communibus demonstrationes absolvi; hinc illa Euclidis, quæ sunt æqualia uni tertio, illa inter se æquantur: item quorum dupla æquantur, illa invicem æquantur: quæ etiam causa est, quod Perer. mathematicis disciplinis nomen scientiæ prorsus deroget, l.3. phil. nat. c.4. id verò quô jure fiat, non est hujus loci disceptare. Demonstratio etiam ab impossibili utiq; ex principio communissimo (non potest idem simul esse & non esse) procedit. Deinde demonstrationem ex principiis alienis & peregrinis quod concernit, quæ μετάβασις dicitur εἰς ἄλλο γένος, illa ideò nihil demonstrat, quia deest συγγένεια & consanguinitas proprii subjecti cum propriis principiis: cum enim scire sit rem per causam cognoscere, eamque primam & immediatam; fieri

autem non possit, ut quod est causa hujus affectionis è tali subjecto immediatè fluentis, idem sit causa affectionis ex alio subjecto fluentis; (idem enim duobus inter se diversis entibus primum ac immediatum esse nequit) hinc impossibile est demonstrationem esse, quæ causam hujus affectionis in hoc subjecto transfert ad demonstrandam affectionem alterius subjecti, e. g. rationalitas est causa risibilitatis in homine immediata: ridiculus prorsus sis, si ex eadem rationalitate contenderis probare de equo hinnibilitatem. Ideò vult Arist. ut à geometriâ absit omne ἀγεωμέτρητον, ab Arithmeticâ omne ἄρριθμον quia οὐκ ἔστι τὴν ἀριθμητικὴν ἀπόδειξιν ἐφαρμόσαι περὶ τὰ τοῖς μεγέθεσι συμβεβηκότα.

§. 93. Quid verò propriè sit illa ab Aristotele damnata μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, multi non satis rectè assequuntur, atque hinc ejusmodi infamiâ notant sæpe argumenta innocentissima: operæ igitur precium fuerit fusius hanc rem persequi, atque ex ipso textu Aristotelis, qui non perfunctoriè aut dicis gratiâ, sed accuratè inspiciendus est, ostendere, quatuor potissimum ad ejusmodi vitiosum transitum requiri 1. ut subjectum cui peregrinum principium adhibetur, planè sit diversum, ac oppositum subjecto illius scientiæ, in quo illud principium est domi; quo pacto diversa sunt numerus & quantitas continua; quorum ille Arithmeticæ, hæc geometriæ subjicitur. Ab ipsâ igitur statim januâ errant, qui per ἄλλο γένος intel-

intelligunt aliam scientiam. Nemini ignotum est, qui quidem degustavit solùm philosophiam Aristotelicam, Genus duplex esse, physicum & logicum; illud nihil esse aliud, quàm subjectum demonstrationis; quo sensu ipse homo (qui tamen species infima est in logicis) genus dici potest; tum cum in demonstratione subjectum exhibet, hoc eodem sensu alicubi philosophus affirmat, corruptibile, & incorruptibile; id est, corpus & spiritum genere differre, quod de genere logico falsum est, cum substantia dividatur in corpoream & incorpoream: ita l. δ metaph. c. 28: superficies vocatur genus (id est subjectum) τῶν σχημάτων. Quæstio est quô sensu in præsenti materiâ dicatur ἄλλο γένος? In proclivi est ostendere, nequaquam de genere logico id accipiendum esse, quia I. expressè additur γένος quale? ὑποκείμενον. At genus logicum, ut tale, nulli rei subjicitur, secus species esset non genus. II. pro exemplo adjungitur ab Aristotele, ὧν δὲ τὸ γένος ἕτερον, ὥσπερ ἀριθμητικῆς καὶ γεωμετρίας Tale intelligitur genus, in quô differunt Arithmetica & geometria: sed non differunt ratione generis logici, utraq; enim scientia est; Ergò genus logicum ab Aristotele non intelligitur. Quare licet scientiæ inter se discrepent, nô tamen ideò μετάβασις erit, nisi & in subjectis sit diversitas. II. Requiritur, ut principiũ μεταβάσεως verum sit, adeoq; sit principiũ; Nam Aristoteli non est idem ex falsis & non propriis concludere, l. 1. top. c. 1: licet enim principia non sint

hujus ſcientiæ, cui vitiosè adhibentur, ſunt tamen principia. III. Requiritur, ut demonſtrationis gratiâ ejuſmodi principia afferantur, qui enim principio quidem peregrino utitur; ſed pro fine habet vel opinionem ſolam, aut docendi facilitatem non demonſtrationem, is μεταβάσεως accuſari nequaquam debet. IV: Requiritur ut ſit principium peregrinum. Ex his poſitis fluit μεταβάσεως vitioſæ definitio, quod ſit talis tranſitus; in quo quiſpiam ex principio veriſſimo quidem; peregrino tamen, demonſtrare conatur affectionem de ſubjécto diverſo ac oppoſito.

§. 94. Nunc verò ex defectu primi requiſiti colligimus, 1. Saltum indecorum non eſſe, quando ſcientiæ ſubalternantis principia accommodantur ad demonſtrationem concluſionis alicujus ſubalternatæ. Et ratio eſt in promtu; quia ſcientiæ ſubalternæ numerum non faciunt, id eſt, habentur pro una eademque, quod in iis non occurrat generis ſubjecti mutatio, ſed retineatur utrobiq; idem, ſolo accidentali diſcrimine diſtinctum, nam ſonus & Phyſicæ & muſicæ ſubjectum eſt, linea & geometriæ & opticæ, videatur Zabarell. l. de trib. præcogn. cap. ult. idem nobiſcum ſentit Ariſtoteles, qui l. cit. expreſsè excipit à μεταβάσει ſcientias ita affectas, ut una ſub altera contineatur: 2. neque tum tranſiliri limites, quoties de parte ſubjecti demonſtratur, quod de toto ſubjecto antea fuit demonſtratum, hoc ipſum etiam docet l. cit. ſapientiæ dictator, quod ſi tranſire,

inquiens;

inquiens, migrareq; demonstratio debeat (scilicet sine vitio) ἢ ἁπλῶς ἀνάγκη τὸ αὐτὸ εἶναι γένος ἢ πῇ, id est, ex parte. Quia enim homo non differt realiter ab animali, igitur quicquid in physicis de animali affirmaturus es vel demonstraturus, id sine crimine quoq; demonstrare licet de homine: rectissimè enim se hæc habet demonstratio, homo est sentiens, quia est animâ sensitivâ præditus: corpus humanum digerit alimentum, quia id omne vivens facit. Quamvis enim ejusmodi conclusiones non sint primæ primitate subjecti, habent tamen primitatem causæ, quę ad demonstrationem sola necessaria est, illâ alterâ solùm existente honorariâ: sicut nobilior clavis est, si sit aurea, quamvis, ut aurea sit, non sit necessarium. Tantùm abest, ut hæc hujusmodi argumenta sint μεταβατικὰ, ut potius dictum de omni & nullo, quod fundamentum omnis discursus est, evidentissimè exerceant: κατωβατικὰ sunt, quàm μεταβατικὰ, descendunt non transcendunt Quare nulla est μετάβασις cum quis ita concludit ex Metaphysicâ aut Physicâ: Quod propriè & sine tropo incubat, movetur, agit, loquitur, id est persona. Spiritus S. propriè & sine tropo incubat, movetur, agit, loquitur, E. est persona, nequaquam autem sola virtus, aut potentia.

Quicunque flet, loquitur, ratiocinatur &c. is est naturalis homo.

Christus flevit, locutus est &c. Ergò.

Nulla hic metabasis. Quamvis enim Sp. S. &

Christus entia sunt, ut vocant, Theologica, sunt tamen revera entia, quibus hæc principia moveri, flere &c. non repugnant. Et cur putabimus esse metabasin? an quia principium accersitur è patriâ metaphysicâ? aut physica? an quia subjectum theologicum diversum est à subjectis philosophicis? Neutra ratio convincit, non 1. quia diversitas scientiarum simpliciter non constituit illam metabasin, sed subjectorum oppositio, ut probatum fuit supra. non 2. quia Ens & Christus, item Ens & Spiritus S. non differunt realiter, quamvis differant accidentaliter: consideratio enim theologica aut philosophica accidens est. Neque enim ideò opticus desinet demonstrare è principiis Geometriæ, etsi subjecta harum scientiarum accidentali discrimine discrepent, dum illa lineam ut visivam, hæc ut quantam considerat. Studiosè hic advertendum est, quod etiam l. 2. prior. Aristoteles monet, fieri posse, ut aliquis aliquid sciat in genere, quod tamen ignoret in specie e.g. Est qui ex physicis audivit de naturâ magnetis verba fieri, deque ejusdem mirabili virtute ferri attractiva, nunquam autem in individuo vidit magnetèm. Sed fac, ex improviso venire eũ ad Agyrtam, qui hoc miraculo naturę ad se venditores alliciat, acuat itidem rusticorũ cultros hujus lapidis virtute, at trahant illi ferrum; videt hoc physicus auditor, atque illicò in memoriam sibi revocat, quid à præceptore audiverit, nimirũ omnem lapidem attractivum ferri esse magnetem, illicò ei suc-

ei succurrit minor. Ecce hic lapis est attractivus ferri, E. concludit, hic lapis est magnes: ita fit, ut nunc scias in particulari quoque, Ita principia philosophica sunt generalia, quorum sæpe usum nescias, cum non semper occurrant exẽpla, quod si tamen deinde alio habitu imbutus, adq; superiorem facultatẽ admissus, tibi occurrat aliquod subjectum antea ignotum, illicò id quod in genere aliquando didicisti, applicare licebit sine ullo vitio. Eodẽ modo, etsi nesciat juris studiosus, cui bono ipsa sit metaphysica, aut philosophia, admissus deinde ad facultatem sentit commodum, ut cum de causis ei sermocinandum est, de circũstantiis atq; substantiis actuum (quæ à Metaphysico nomine accidentis & essentiæ exprimuntur) de forma itidem actuum &c. ei illicò occurrit id, quod olim in philosophia audivit. Et (quæ Ciceronis alicubi comparatio est) sicut, qui in sole ambulant, etsi nõ propterea ambulant, ut nigrorem contrahant, nihilo tamen minus colorantur: sic etsi philosophiã solius jucunditatis ergò discas, tamen cum ad facultatem penetraris, ejus usus se tibi offert ultrò. Ex quô liquet, quantus philosophiæ (realis non instrumentalis) in superioribus facultatibus usus est, eum totum esse per accidens, sicut cultro (etsi per se natus sit cibis secandis) per accidens uti licet etiam ad ligna secanda. Nam si quis philosophiæ per se usus esset in superioribus facultatibus, is vel esset δεσποτικὸς vel δουλικὸς herilis aut servilis; non ille, quia is re-

pugnat dignitati illarum scientiarum superiorum: non hic,] quia id obstat dignitati philosophiæ, quæ libera est, nulli serviens, ut præclarè testatur philosophus l.a.maj.metaph.c.1.& 2.

Sed ut redeamus è diverticulo ad viam. Quid, inquies, Ergóne, quia Metaphysicus asserit omne quod est ab alio idem eo est natura posterius, ideò etiam filius Dei, qui est à patre, erit patre natura posterior? Item, quia Metaphysicus asserit, Quodcunq; ens una est essentia substantialis, idem unam solam esse personam: Igitur Deus ut unus est in essentiâ, ita unus tantum erit in personâ? Hoc est μέγα λίαν αἴτημα, propter quod quidem olim sinisterius nonnihil de philosphia judicarunt, eamque cum Theologiâ committere non dubitarunt. Verùm nulla in his difficultas. Etsi enim metabases non sunt, aliâ tamen parte ipsis genua labant, nam metabasis est ex subjectis diversis, principiis autem veris. Sed in istis argumentis neutrum occurrit, non 1. quia omne ens quod est una essentia substantialis, & Deus, non differunt realiter, ut constat. Non 2. quia falsum est, imò falsissimum, omne ens, quod est ab alio, eodem esse posterius naturâ. Item, omnem unam essentiam substantialem esse unam solùm personam. Ut verò constet, quæ principia falsa sint, ἀναλύσει opus est, id est reductione ad suos fontes, unde nobis innotuerunt: quia autem philosophiæ mater experientia est, inductio tàm diu instituenda est, donec perveniatur ad aliquod ens

quod

quod principii universalitatem vel sensu judices damnet, tum enim certum est, principium ejusmodi principii titulum alii cedere oportere. Impetrabo hoc non solum ab homine philosopho, sed etiam barbaro. Antequam navigio suo exploravit Americam Columbus, apud Indos hoc principium fuit longè certissimum, quod difficilius iis fuisset eripere atq; Herculi clavam. Omnis homo est imberbis. Quocunque enim migrassent in illo amplissimo regno omnia exempla coegissent in unum, & quia neminem ex omnibus conterraneis inventuri fuissent barbatū, utiq; conclusissent, omnem hominem imberbem esse, prælertim cum aliæ terræ æquè ipsis incognitæ ac peregrinæ fuerint ac ethnicis revelatio divina esse solet. Sed cum appulerunt in portum Hispani barbati omnes, illicò principium istud evanuit, collegerunt enim ex adventu novorum hospitum, hactenus se falsos fuisse, & nequaquam omnem hominem barbatum esse. Rursus, pro comperto atq; infallibili principio apud omnes gentes semper fuit, omnē hominem naturâ mortalem esse. Nunc ponamus Aristotelem scripturam sacram pro infallibili Dei verbo habuisse, uti quidem hodie illi hæretici, qui ejusmodi sophismatis impugnant fidei articulos, tale quid non negant; obtulisses Aristoteli locum qui evincat primum hominem natura fuisse immortalem, annon cessisset? annon manus dedisset? annon fassus fuisset lapsum ac errorem, qui hactenus omnibus genti-

pugnat dignitati illarum scientiarum superiorum: non hic,] quia id obstat dignitati philosophiæ, quæ libera est, nulli serviens, ut præclarè testatur philosophus l.a.maj.metaph.c.1.& 2.

Sed ut redeamus è diverticulo ad viam. Quid, inquies, Ergóne, quia Metaphysicus asserit omne quod est ab alio idem eo est natura posterius, ideò etiam filius Dei, qui est à patre, erit patre natura posterior? Item, quia Metaphysicus asserit, Quodcunq; ens una est essentia substantialis, idem unam solam esse personam: Igitur Deus ut unus est in essentiâ, ita unus tantum erit in personâ? Hoc est μέγα λίαν αἴτημα, propter quod quidem olim sinisterius nonnihil de philosphia judicarunt, eamque cum Theologiâ committere non dubitarunt. Verùm nulla in his difficultas. Etsi enim metabases non sunt, aliâ tamen parte ipsis genua labant, nam metabasis est ex subjectis diversis, principiis autem veris. Sed in istis argumentis neutrum occurrit, non 1. quia omne ens quod est una essentia substantialis, & Deus, non differunt realiter, ut constat. Non 2. quia falsum est, imò falsissimum, omne ens, quod est ab alio, eodem esse posterius naturâ Item, omnem unam essentiam substantialem esse unam solùm personam. Ut verò constet, quæ principia falsa sint, ἀναλύσει opus est, id est reductione ad suos fontes, unde nobis innotuerunt: quia autem philosophiæ mater experientia est, inductio tàm diu instituenda est, donec perveniatur ad aliquod ens

quod

quod principii universalitatem vel sensu judices damnet, tum enim certum est, principium ejusmodi principii titulum alii cedere oportere. Impetrabo hoc non solum ab homine philosopho, sed etiam barbaro. Antequam navigio suo exploravit Americam Columbus, apud Indos hoc principium fuit longè certissimum, quod difficilius iis fuisset eripere atq; Herculi clavam. Omnis homo est imberbis. Quocunque enim migrassent in illo amplissimo regno omnia exempla coegissent in unum, & quia neminem ex omnibus conterraneis inventuri fuissent barbatū, utiq; conclusissent, omnem hominem imberbem esse, prælertím cum aliæ terræ æquè ipsis incognitæ ac peregrinæ fuerint ac ethnicis revelatio divina esse solet. Sed cum appulerunt in portum Hispani barbati omnes, illicò principium istud evanuit, collegerunt enim ex adventu novorum hospitum, hactenus se falsos fuisse, & nequaquam omnem hominem barbatum esse. Rursus, pro comperto atq; infallibili principio apud omnes gentes semper fuit, omnē hominem naturâ mortalem esse. Nunc ponamus Aristotelem scripturam sacram pro infallibili Dei verbo habuisse, uti quidem hodie illi hæretici, qui ejusmodi sophismatis impugnant fidei articulos, tale quid non negant; obtulisses Aristoteli locum qui evincat primum hominem natura fuisse immortalem, annon cessisset? annon manus dedisset? annon fassus fuisset lapsum ac errorem, qui hactenus omnibus genti-

bus insederat? Stent enim ex hac parte omnes homines, & sonora voce clament, omnem hominē natura esse mortalem. Stet ex illa parte Deus & creet Adamum, eumq; à morte im̄unem efficiat. Quæro quibus partibus accedere velis? & quæro per frontem, utri parti fides habenda? an vel universo hominum cœtui? num Deo loquenti & creanti? illúmne his, an hos illi, cedere æquius? quicquid dicturus es, aut ad sum̄am impietatem nihil facies reliqui, aut nobiscum credes, omne id principium falsum esse undecunq; petatur, ad quod instantia dari è scriptura possit. Quomodo verò ad hęc hujusmodi logicè responderi debeat, articulus ultimus planum faciet. Dices, ex hoc colligi posse, multa in philosophia vera esse, quæ in Theologia sunt falsa? Resp. nequàquam hoc colligi potest. Nam hæc propositio (omnis una essentia substantialis est una solum persona) vel ita simpliciter accipitur, ut verba sonant. vel distinctione facta in duos sensus dispescitur, hos nimirum (omnis una essentia substantialis INCREATA est una solum persona: vel omnis una essentia substantialis CREATA est una solùm persona) quæro, quænam ex his tribus cōtradicat huic Theologicæ (Quædam una essentia substantialis increata est simul tres personæ?) prima quidem illa illimitata, & secunda contradicit huic postremæ Theologicæ, sed nec illa nec ista verum est philosophicum; immò neutra philosophica est. Quia enim utraq; falsa est, hoc ipso non est philoso-

losophica, sed si hæc hujusmodi proponat philosophus impurus, qui non magis philosophus est, quàm virgo deflorata virgo est, quid mirum, si sequatur illud bellum, quod est inter rationem & verbum Dei? Nos interea cum Clem. Alex. l. 1. strom. per philosophiam non intelligimus Epicuræam, Stoicā, aut quamvis aliam, sed quęcunq; ab his omnibus verè & rectè memoriæ hominum relicta sunt. Nullus quidem diffiteor, magnā rationis corruptionem esse; sed illa dupliciter intelligi potest, vel privativè solùm, pro absentia ejus scientiæ, quę adesse debebat, vel positivè pro præsentia ejus, quod adesse non debebat, ut est error mētis, & voluntatis petulantia; si primo modo illa corruptio accipitur, tùm non contradicit, quia quod quis ignorat, quomodo contradicet? si secundo modo, fateor quidem errores mentis sæpe contradicere, sed quid id ad philosophiam? si tertium arripias, iterum fateor multis philosophis nomine tenus talibus magnam insedisse voluntatis contumaciam ac petulantiam, sed id voluntatis non intellectus est vitium, in quo Philosophia aliàs fundatur; sæpe ratio coacta navat voluntati operam, quæ cogit militare melioris sententiæ sibi consciam mentem contra revelationem Sp. S. sicut non rarò Turcarum immanitate coguntur Christiani ad conferendam aciem cum suis fratribus. Denique tertia è superiori propositionū triade, quæ sola vera est, & philosophica, non contradicit nostræ Theologicæ, cum non sit

τοῦ ἀν-

τοῦ αὐτοῦ ᾗ αὐτοῦ, ſed diverſi utrobique ponantur termini. Quis enim, qui quidem non lippiat cucurbitas, non videt, nullam his ſubeſſe pugnam. Omnis eſſentia ſubſtantialis creata eſt una ſolum perſona. Et quædam eſſentia ſubſtantialis increata eſt ſimul tres perſonæ. Ut autem ſibi hæc non contradicunt, ita nec illa vera philoſophica falſa eſt in Theologia, quia privatio & habitus ſunt in eodem & circa idem, in quâ igitur ſcientiâ quid verum non eſt, in eâ nec falſum eſſe poteſt, ſicut quia Germanus non eſt verus civis Regis Galliarum, ita nec falſus civis eſt, ſed non verus: ſicut lapis neque videns eſt, neq; cæcus, ſed non videns. Quod diſcrimen falſi & non veri collatum cum diſtinctione in primâ parte hujus tractatus aſſignatâ, inter falſum & abſurdum, unumquemque facile docebit, nihil noſtræ ſententiæ obeſſe theſes B. Lutheri, quas Anno 1539. oppoſuit Sorboniſtis. Unum hoc adjicio, Verum philoſophicum aut falſum eſt in Theologiâ, quia philoſophicum eſt, aut quia malè à philoſophis applicatum. Si illud (cum à quia & quatenus ad de omni valeat conſequentia) omne verum philoſophicum erit contrarium Theologiæ, E. hæ erunt falſæ: Quicquid loquitur, movetur, &c. eſt perſona. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Finiti ad infinitum nulla proportio. Atqui ex 1. deduci ſolet Sp. S. eſſe perſonam: alteram ex naturâ allegat Servator: Tertia ſi falſa eſt, falſa etiam tum erit, quando ex eâ in Theologiâ probatur, opera noſtra non

eſſe

esse meritoria vitæ æternæ non 2. quia si mala applicatio hoc stigma philosophiæ inurere posset, idem factura esset omnis mala applicatio, E. verũ etiam Theologicum erit falsum, tum, quando male applicatur ab hæretico. Fando inauditum est, majorem negari propter minorem. Ecquis neget pannum verè esse sericum, etsi à sartore malè consarcinetur aut corpori accommodetur?

§. 95. Ex defectu secundæ conditionis, Non quidem ineptè saliunt argumenta; quæ ex falsô principio concludunt, sed aliâ parte malè se habent. Nam μετάβασις est, cùm quod principium revera est, perperam transfertur ad demonstrandam conclusionem à suo proprio subjecto alienam. At vero quæ falsa sunt, hoc ipso non sunt principia; cũ principio nihil debeat esse verius; rursus, quæ instantiam patiuntur, nihil illa minus sunt quam principia, de quorum ratione est; ut sint κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλε vera. Unde liquet Scaligerum exerc. 106. sect. 2. non erraſſe hunc errorem μεταβάσεως (liceat hîc bonâ pace dissentire à Magnô quodam Philosophô, quô me fateor in hoc ipso tractatu aliàs multum adjutum fuisse) Verba Scaligeri, quibus impugnat Cardanum, ita se habent: *Ferrum excoqui à naturâ ut fiat æs; id verò falsissimum est: quippe æris usus prope nullus. si ferro carendum sit nobis, haut sanè ut opinor bene agatur nobiscum. Quin hoc ad hominis usum moliri piam parentem naturam potius, quàm aurum qui negant, in avaris, non in sapientibus; huic liceat nomen suum profiteri.* Argumentum Scaligeri est tale: *Quic-*

oculeus fuisse, circumspectiorem esse oportet: idque tantò magis; quia non possunt certæ & numero finitæ cautelæ præscribi, quibus vindicibus ictus sophisticos exire liceret; sed quia materialia sunt sophismata ex suis quæq; scientiis ubi nata sunt, petenda eorum est solutio. Cùm autem syllogismus secundum materiam bonus vel necessarius sit vel probabilis: duplicia etiā sunt vitia materiæ, unum oppositum syllogismo dialectico, alterum apodictico. De priori supra actum est; de posteriori adhuc superest, ut agatur. Omne omninò vitium materiæ, vel est ex principio falso; vel non proprio, sicut è contrario, omnis demonstratio est ex veris, primis, ac immediatis: Ex principio non proprio rursus bifariam; vel quia 1. est nimis commune; vel quia 2. extraneum, de priori loquitur Aristoteles l.1. post: anal: cap.7. quando hoc nomine reprehendit probationem quadraturæ circuli à Brysone allatam: De posteriore in ejusdem capitis initio; quando μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος prohibet. De probatione ex principio falso sequenti articulo agemus. Quantum attinet probationem ex principio communi, illa ideò ad demonstrationis dignitatem non accedit, quia non affert causam proximam ac immediatam, propter quam res sit; & cujus notitia intellectum planè satiet, omnemq; sciendi sitim extinguat, causa autem proxima & immediata non potest inveniri, nisi in eo genere; cui affectio inest non solum omni, & per se; sed

etiam καθ' ὅλȣ atque primitate quâdam subjecti: hinc frustra quæsieris causam risibilitatis in anima sentiente hominis, cum hæc homini competat non qua animal est, sed quà homo. Argumentum ejusmodi ex principio comuni hoc est, cum quis quærit, Quamobrem homo sit mortalis? tu respondeas, quia Deus voluit. Est hæc nimis remota causa, qui scientiam venatur, is nondum desistit quærere. Advertendum tamen est, licet demonstratio ex principio remoto non sit simpliciter ac potissima demonstratio, secundum quid tamen eam hoc nomine gaudere, qua de re legendus fuerit Zabar. l. de speciebus demonstrat. In scientiis enim mathematicis nihil frequentius est, quàm principiis communibus demonstrationes absolvi; hinc illa Euclidis, quæ sunt æqualia uni tertio, illa inter se æquantur: item quorum dupla æquantur, illa invicem æquantur: quæ etiam causa est, quod Perer. mathematicis disciplinis nomen scientiæ prorsus deroget, l.3. phil. nat. c.4. id verò quô jure fiat, non est hujus loci disceptare. Demonstratio etiam ab impossibili utiq; ex principio communissimo (non potest idem simul esse & non esse) procedit. Deinde demonstrationem ex principiis alienis & peregrinis quod concernit, quæ μετάβασις dicitur εἰς ἄλλο γένος, illa ideò nihil demonstrat, quia deest συγγένεια & consanguinitas proprii subjecti cum propriis principiis: cum enim scire sit rem per causam cognoscere, eamque primam & immediatam; fieri

autem non possit, ut quod est causa hujus affectionis è tali subjecto immediatè fluentis, idem sit causa affectionis ex alio subjecto fluentis; (idem enim duobus inter se diversis entibus primum ac immediatum esse nequit) hinc impossibile est demonstrationem esse, quæ causam hujus affectionis in hoc subjecto transfert ad demonstrandam affectionem alterius subjecti, e. g. rationalitas est causa risibilitatis in homine immediata: ridiculus prorsus sis, si ex eadem rationalitate contenderis probare de equo hinnibilitatem. Ideò vult Arist. ut à geometriâ absit omne ἀγεωμέτρητον, ab Arithericâ omne ἄῤῥιθμον quia οὐκ ἔστι τὴν ἀριθμητικὴν ἀπόδειξιν ἐφαρμόσαι πρὸς τὰ τοῖς μεγέθεσι συμβεβηκότα.

§. 93. Quid verò propriè sit illa ab Aristotele damnata μετάβασις εἰς ἄλλο γένος; multi non satis rectè assequuntur, atque hinc ejusmodi infamiâ notant sæpe argumenta innocentissima: operæ igitur precium fuerit fusius hanc rem persequi, atque ex ipso textu Aristotelis, qui non perfunctoriè aut dicis gratiâ, sed accuratè inspiciendus est, ostendere, quatuor potissimum ad ejusmodi vitiosum transitum requiri 1. ut subjectum cui peregrinum principium adhibetur, planè sit diversum, ac oppositum subjecto illius scientiæ, in quo illud principium est domi; quo pacto diversa sunt numerus & quantitas continua; quorum ille Arithmeticæ, hæc geometriæ subjicitur. Ab ipsâ igitur statim januâ errant, qui per ἄλλο γένος

intel-

intelligunt aliam ſcientiam. Nemini ignotum eſt, qui quidem deguſtavit ſolùm philoſophiam Ariſtotelicam, Genus duplex eſſe, phyſicum & logicum; illud nihil eſſe aliud, quàm ſubjectum demonſtrationis; quo ſenſu ipſe homo (qui tamen ſpecies infima eſt in logicis) genus dici poteſt; tum cum in demonſtratione ſubjectum exhibet, hoc eodem ſenſu alicubi philoſophus affirmat, corruptibile, & incorruptibile; id eſt, corpus & ſpiritum genere differre, quod de genere logico falſum eſt, cum ſubſtantia dividatur in corpoream & incorpoream: ita l. δ metaph. c. 28. ſuperficiés vocatur genus (id eſt ſubjectum) τῶν σχημάτων. Quæſtio eſt quô ſenſu in præſenti materiâ dicatur ἄλλο γένος? In proclivi eſt oſtendere, nequaquam de genere logico id accipiendum eſſe, quia I. expreſsè additur γένος quale? ὑποκείμενον. At genus logicum, ut tale, nulli rei ſubjicitur, ſecus ſpecies eſſet non genus. II. pro exemplo adjungitur ab Ariſtotele, ὧν δὲ τὸ γένος ἕτερον, ὥσπερ ἀριθμητικῆς καὶ γεωμετρίας Tale intelligitur genus, in quo differunt Arithmetica & geometria: ſed non differunt ratione generis logici, utraq; enim ſcientia eſt; Ergò genus logicum ab Ariſtotele non intelligitur. Quare licet ſcientiæ inter ſe diſcrepent, nō tamen ideò μετάβασις erit, niſi & in ſubjectis ſit diverſitas. II. Requiritur, ut principiū μεταβάσεως verum ſit, adeoq; ſit principiū; Nam Ariſtoteli non eſt idem ex falſis & non propriis concludere, l. 1. top. c. 1. licet enim principia non ſint

hujus ſcientiæ, cui vitiosè adhibentur, ſunt tamen principia. III. Requiritur, ut demonſtrationis gratiâ ejuſmodi principia afferantur, qui enim principio quidem peregrino utitur; ſed pro fine habet vel opinionem ſolam; aut docendi facilitatem non demonſtrationem, is μεταβάσεως accuſari nequaquam debet IV: Requiritur ut ſit principium peregrinum. Ex his poſitis fluit μεταβάσεως vitioſæ definitio, quod ſit talis tranſitus; in quo quiſpiam ex principio veriſſimo quidem; peregrino tamen, demonſtrare conatur affectionem de ſubjecto diverſo ac oppoſito.

§. 94. Nunc verò ex defectu primi requiſiti colligimus, 1. Saltum indecorum non eſſe, quando ſcientiæ ſubalternantis principia accommodantur ad demonſtrationem concluſionis alicujus ſubalternatæ: Et ratio eſt in promtu; quia ſcientiæ ſubalternæ numerum non faciunt, id eſt; habentur pro una eademque, quod in iis non occurrat generis ſubjecti mutatio; ſed retineatur utrobiq; idem, ſolo accidentali diſcrimine diſtinctum, nam ſonus & Phyſicæ & muſicæ ſubjectum eſt, linea & geometriæ & opticæ, videatur Zabarell. l. de trib. præcogn. cap. ult. idem nobiſcum ſentit Ariſtoteles, qui l. cit. expreſsè excipit à μεταβάσει ſcientias ita affectas, ut una ſub altera contineatur: 2. neque tum tranſiliri limites, quoties de parte ſubjecti demonſtratur, quod de toto ſubjecto antea fuit demonſtratum, hoc ipſum etiam docet l. cit. ſapientiæ dictator; quod ſi tranſire,

inquiens;

inquiens, migrareq; demonstratio debeat (scilicet sine vitio) ἢ ἁπλῶς ἀνάγκη τὸ αὐτὸ εἶναι γένος ἢ πῇ, id est, ex parte. Quia enim homo non differt realiter ab animali, igitur quicquid in physicis de animali affirmaturus es vel demonstraturus, id sine crimine quoq; demonstrare licet de homine: rectissimè enim se hæc habet demonstratio, homo est sentiens, quia est animâ sensitivâ præditus: corpus humanum digerit alimentum, quia id omne vivens facit. Quamvis enim ejusmodi conclusiones non sint primæ primitate subjecti, habent tamen primitatem causæ, quæ ad demonstrationem sola necessaria est, illâ alterâ solùm existente honorariâ: sicut nobilior clavis est, si sit aurea, quamvis, ut aurea sit, non sit necessarium. Tantùm abest, ut hæc hujusmodi argumenta sint μεταβατικὰ, ut potius dictum de omni & nullo, quod fundamentum omnis discursus est, evidentissimè exerceant: καταβατικὰ sunt, quàm μεταβατικὰ, descendunt non transcendunt. Quare nulla est μετάβασις cum quis ita concludit ex Metaphysicâ aut Physicâ: Quod propriè & sine tropo incubat, movetur, agit, loquitur, id est persona. Spiritus S. propriè & sine tropo incubat, movetur, agit, loquitur, E. est persona, nequaquam autem sola virtus, aut potentia.

Quicunque flet, loquitur, ratiocinatur &c. is est naturalis homo.

Christus flevit, locutus est &c. Ergò.

Nulla hic metabasis. Quamvis enim Sp. S. &

Christus entia sunt, ut vocant, Theologica, sunt tamen revera entia, quibus hæc principia moveri, fiere &c. non repugnant. Et cur putabimus esse metabasin? an quia principium accersitur è patriâ metaphysicâ? aut physica? an quia subjectum theologicum diversum est à subjectis philosophicis? Neutra ratio convincit, non 1. quia diversitas scientiarum simpliciter non constituit illam metabasin, sed subjectorum oppositio, ut probatum fuit supra. non 2. quia Ens & Christus, item Ens & Spiritus S. non differunt realiter, quamvis differant accidentaliter: consideratio enim theologica aut philosophica accidens est. Neque enim ideò opticus desinet demonstrare è principiis Geometriæ, etsi subjecta harum scientiarum accidentali discrimine discrepent, dum illa lineam ut visivam, hæc ut quantam considerat. Studiosè hic advertendum est, quod etiam l. 2. prior. Aristoteles monet, fieri posse, ut aliquis aliquid sciat in genere, quod tamen ignoret in specie e.g. Est qui ex physicis audivit de naturâ magnetis verba fieri, deque ejusdem mirabili virtute ferri attractiva, nunquam autem in individuo vidit magnetem. Sed fac, ex improviso venire eũ ad Agyrtam, qui hoc miraculo naturę ad se venditores alliciat, acuat itidem rusticorũ cultros hujus lapidis virtute, at trahant illi ferrum; videt hoc physicus auditor, atque illicò in memoriam sibi revocat, quid à præceptore audiverit, nimirũ omnem lapidem attractivum ferri esse magnetem, illicò ei suc-

ei succurrit minor. Ecce hic lapis est attractivus ferri, E. concludit, hic lapis est magnes: ita fit, ut nunc scias in particulari quoque, Ita principia philosophica sunt generalia, quorum sæpe usum nescias, cum non semper occurrant exẽpla, quod si tamen deinde alio habitu imbutus, adq; superiorem facultatẽ admissus, tibi occurrat aliquod subjectum antea ignotum, illicò id quod in genere aliquando didicisti, applicare licebit sine ullo vitio. Eodẽ modo, etsi nesciat juris studiosus, cui bono ipsa sit metaphysica, aut philosophia, admissus deinde ad facultatem sentit commodum, ut cum de causis ei sermocinandum est, de circũstantiis atq; substantiis actuum (quæ à Metaphysico nomine accidentis & essentiæ exprimuntur) de forma itidem actuum &c. ei illicò occurrit id, quod olim in philosophia audivit. Et (quæ Ciceronis alicubi comparatio est) sicut, qui in sole ambulant, etsi nõ propterea ambulant, ut nigrorem contrahant, nihilo tamen minus colorantur: sic etsi philosophiã solius jucunditatis ergò discas, tamen cum ad facultatem penetraris, ejus usus se tibi offert ultrò. Ex quô liquet, quantus philosophiæ (realis non instrumentalis) in superioribus facultatibus usus est, eum totum esse per accidens, sicut cultro (etsi per se natus sit cibis secandis) per accidens uti licet etiam ad ligna secanda. Nam si quis philosophiæ per se usus esset in superioribus facultatibus, is vel esset δεσποτικὸς vel δουλικὸς herilis aut servilis; non ille, quia is re-

pugnat dignitati illarum scientiarum superiorum: non hic,] quia id obstat dignitati philosophiæ, quæ libera est, nulli serviens, ut præclarè testatur philosophus l. a. maj. metaph. c. 1. & 2.

Sed ut redeamus è diverticulo ad viam. Quid, inquies, Ergóne, quia Metaphysicus asserit omne quod est ab alio idem eo est natura posterius, ideò etiam filius Dei, qui est à patre, erit patre natura posterior? Item, quia Metaphysicus asserit, Quodcunq; ens una est essentia substantialis, idem unam solam esse personam: Igitur Deus ut unus est in essentiâ, ita unus tantum erit in personâ? Hoc est μέγα λίαν αἴτημα, propter quod quidem olim sinisterius nonnihil de philosphia judicarunt, eamque cum Theologiâ committere non dubitarunt. Verùm nulla in his difficultas. Etsi enim metabases non sunt, aliâ tamen parte ipsis genua labant, nam metabasis est ex subjectis diversis, principiis autem veris. Sed in istis argumentis neutrum occurrit, non 1. quia omne ens quod est una essentia substantialis, & Deus, non differunt realiter, ut constat. Non 2. quia falsum est, imò falsissimum, omne ens, quod est ab alio, eodem esse posterius naturâ Item, omnem unam essentiam substantialem esse unam solùm personam. Ut verò constet, quæ principia falsa sint, ἀναλύσει opus est, id est reductione ad suos fontes, unde nobis innotuerunt: quia autem philosophiæ mater experientia est, inductio tàm diu instituenda est, donec perveniatur ad aliquod ens

quod

quod principii universalitatem vel sensu judice damnet, tum enim certum est, principium ejusmodi principii titulum alii cedere oportere. Impetrabo hoc non solum ab homine philosopho, sed etiam barbaro. Antequam navigio suo exploravit Americam Columbus, apud Indos hoc principium fuit longè certissimum, quod difficilius iis fuisset eripere atq; Herculi clavam. Omnis homo est imberbis. Quocunque enim migrassent in illo amplissimo regno omnia exempla coegissent in unum, & quia neminem ex omnibus conterraneis inventuri fuissent barbatū, utiq; conclusissent, omnem hominem imberbem esse, præsertim cum aliæ terræ æquè ipsis incognitæ ac peregrinæ fuerint ac ethnicis revelatio divina esse solet. Sed cum appulerunt in portum Hispani barbati omnes, illicò principium istud evanuit, collegerunt enim ex adventu novorum hospitum, hactenus se falsos fuisse, & nequaquam omnem hominem barbatum esse. Rursus, pro comperto atq; infallibili principio apud omnes gentes semper fuit, omnē hominem naturâ mortalem esse. Nunc ponamus Aristotelem scripturam sacram pro infallibili Dei verbo habuisse, uti quidem hodie illi hæretici, qui ejusmodi sophismatis impugnant fidei articulos, tale quid non negant; obtulisses Aristoteli locum qui evincat primum hominem natura fuisse immortalem, annon cessisset? annon manus dedisset? annon fassus fuisset lapsum ac errorem, qui hactenus omnibus genti-

bus insederat? Stent enim ex hac parte omnes homines, & sonora voce clament, omnem hominē natura esse mortalem. Stet ex illa parte Deus & creet Adamum, eumq; à morte im̄unem efficiat. Quæro quibus partibus accedere velis? & quæro per frontem, utri parti fides habenda? an vel universo hominum cœtui? num Deo loquenti & creanti? illúmne his, an hos illi, cedere æquius? quicquid dicturus es, aut ad sum̄am impietatem nihil facies reliqui, aut nobiscum credes, omne id principium falsum esse undecunq; petatur, ad quod instantia dari è scriptura possit. Quomodo verò ad hęc hujusmodi logicè responderi debeat, articulus ultimus planum faciet. Dices, ex hoc colligi posse, multa in philosophia vera esse, quæ in Theologia sunt falsa? Resp. nequàquam hoc colligi potest. Nam hæc propositio (omnis una essentia substantialis est una solum persona) vel ita simpliciter accipitur, ut verba sonant. vel distinctione facta in duos sensus dispescitur, hos nimirum (omnis una essentia substantialis INCREATA est una solum persona: vel omnis una essentia substantialis CREATA est una solùm persona) quæro, quænam ex his tribus cōtradicat huic Theologicæ (Quædam una essentia substantialis increata est simul tres personæ?) prima quidem illa illimitata, & secunda contradicit huic postremæ Theologicæ, sed nec illa nec ista verum est philosophicum; immò neutra philosophica est. Quia enim utraq; falsa est, hoc ipso non est philoso-

losophica, sed si hæc hujusmodi proponat philosophus impurus, qui non magis philosophus est, quàm virgo deflorata virgo est, quid mirum, si sequatur illud bellum, quod est inter rationem & verbum Dei? Nos interea cum Clem. Alex. l. 1. strom. per philosophiam non intelligimus Epicuræam, Stoicā, aut quamvis aliam, sed quęcunq; ab his omnibus verè & rectè memoriæ hominum relicta sunt. Nullus quidem diffiteor, magnā rationis corruptionem esse; sed illa dupliciter intelligi potest, vel privativè solùm, pro absentia ejus scientiæ, quę adesse debebat, vel positivè pro præsentia ejus, quod adesse non debebat, ut est error mētis, & voluntatis petulantia: si primo modo illa corruptio accipitur, tùm non contradicit, quia quod quis ignorat, quomodo contradicet? si secundo modo, fateor quidem errores mentis sæpe contradicere, sed quid id ad philosophiam? si tertium arripias, iterum fateor multis philosophis nomine tenus talibus magnam insedisse voluntatis contumaciam ac petulantiam, sed id voluntatis non intellectus est vitium, in quo Philosophia aliàs fundatur; sæpe ratio coacta navat voluntati operam, quæ cogit militare melioris sententiæ sibi consciam mentem contra revelationem Sp.S. sicut non rarò Turcarum immanitate coguntur Christiani ad conferendam aciem cum suis fratribus. Denique tertia è superiori propositionū triade, quæ sola vera est, & philosophica, non contradicit nostræ Theologicæ, cum non sit

τῷ ἀυ-

τῦ αὐτῦ ἢ αὐτῦ, ſed diverſi utrobique ponantur termini. Quis enim, qui quidem non lippiat cucurbitas, non videt, nullam his ſubeſſe pugnam. Omnis eſſentia ſubſtantialis creata eſt una ſolum perſona. Et quædam eſſentia ſubſtantialis increata eſt ſimul tres perſonæ. Ut autem ſibi hæc non contradicunt, ita nec illa vera philoſophica falſa eſt in Theologia, quia privatio & habitus ſunt in eodem & circa idem, in quâ igitur ſcientiâ quid verum non eſt, in eâ nec falſum eſſe poteſt, ſicut quia Germanus non eſt verus civis Regis Galliarum, ita nec falſus civis eſt, ſed non verus: ſicut lapis neque videns eſt, neq; cæcus, ſed non videns. Quod diſcrimen falſi & non veri collatum cum diſtinctione in primâ parte hujus tractatus aſſignatâ, inter falſum & abſurdum, unumquemque facile docebit, nihil noſtræ ſententiæ obeſſe theſes B. Lutheri, quas Anno 1539. oppoſuit Sorboniſtis. Unum hoc adjicio, Verum philoſophicum aut falſum eſt in Theologiâ, quia philoſophicum eſt, aut quia malè à philoſophis applicatum. Si illud (cum à quia & quatenus ad de omni valeat conſequentia) omne verum philoſophicum erit contrarium Theologiæ, E. hæ erunt falſæ: Quicquid loquitur, movetur, &c. eſt perſona. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Finiti ad infinitum nulla proportio. Atqui ex 1. deduci ſolet Sp. S. eſſe perſonam: alteram ex naturâ allegat Servator: Tertia ſi falſa eſt, falſa etiam tum erit, quando ex eâ in Theologiâ probatur, opera noſtra non

eſſe

esse meritoria vitæ æternæ. non 2. quia si mala applicatio hoc stigma philosophiæ inurere posset; idem factura esset omnis mala applicatio, E. verū etiam Theologicum erit falsum, tum, quando male applicatur ab hæretico. Fando inauditum est, majorem negari propter minorem. Ecquis neget pannum verè esse sericum, etsi à sartore malè consarcinetur aut corpori accommodetur?

§. 95. Ex defectu secundæ conditionis, Non quidem ineptè saliunt argumenta; quæ ex falsò principio concludunt, sed aliâ parte malè se habent. Nam μετάβασις est, cum quod principium revera est, perperam transfertur ad demonstrandam conclusionem à suo proprio subjecto alienam. At vero quæ falsa sunt, hoc ipso non sunt principia; cū principio nihil debeat esse verius; rursus, quæ instantiam patiuntur, nihil illa minus sunt quam principia, de quorum ratione est; ut sint κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου vera. Unde liquet Scaligerum exerc. 106. sect. 2. non erraste hunc errorem μεταβάσεως (liceat hîc bonâ pace dissentire à Magno quodam Philosopho, quo me fateor in hoc ipso tractatu aliàs multum adjutum fuisse) Verba Scaligeri, quibus impugnat Cardanum, ita se habent: *Ferrum excoqui à natura ut fiat æs; id verò falsissimum est: quippe æris usus prope nullus si ferro carendum sit nobis, haut sanè ut opinor bene agatur nobiscum. Quin hoc ad hominis usum moliri piam parentem naturam potius; quàm aurum qui negant, in avaris, non in sapientibus; huic liceat nomen suum profiteri.* Argumentum Scaligeri est tale:

Quicquid inutile est homini, in illud aliud quod utile est, converti aut mutari non potest.

Sed æs inutile est homini, E.

In æs ferrum, quod utile est, mutari non potest.

Nego hanc esse metabasin: Aut enim major vera est, aut falsa; si prius, cur negatur ex illo principio quod natura rerum non nostro usu mensuranda sit, sed usus earum naturâ? si posterius, non est ut dixi metabasis: Dices, è patriâ œconomicâ evocari argumentum ad demonstrandam conclusionem physicam, atq; hoc esse transire: Resp. 1. esto inde petatur argumentũ, tamen ad μετάβασιν hoc non sufficit, ut supra demonstratum fuit, nisi velimus metabaseos injuriâ afficere etiam argumentum: Sp S. est persona, quia incubat, movet &c. 2. nego ex œconomiâ simpliciter argumentum petere Scaligerum, sed ex ipso physicæ meditullio. Nam cum duplex rei usus sit; unus ex necessitate finis, alter ex necessitate materiæ, ut non obscurè innuit philosophus, l. 2. phys. c. 9. (e. g. homini data lingua est, & alia sermocinandi instrumẽta, ex necessitate finis, quia hoc fine creatus est, ut verba cum aliis misceret: barbam autem dedit ex necessitate materiæ, neq; enim ideò creatus est homo ut esset barbatus, sed quia materia excrementosa est in homine, quam natura cum honore aliquo vult ejicere, ideò ex eâ nascitur barba, idq; ex materiæ necessitate, ne male illa pereat; Ita pernicitas cursus data est cervo ex finis, cornua autẽ solum ex materiæ necessitate, satis enim se ipse defende-

fendere suâ velocitate potest, neq; bestiis natura plura uno defensionis media indulsit, videatur latius de hoc argumento Zabarella l.2. de med. demonst. c. 8. Ideò verissima hæc propositio est:

Quicquid nullum omnino usum habet neque per se, neq; per accidens, id à naturâ nequaquam fieri potest.

Ratio petitur ex c. 8. l. 2. phys. quia natura nihil facit frustra; Qui sic disputat, is loquitur de usu in genere, & præscindit ab usu œconomico, politico &c. Ferri enim, ut constat, usus non solum in œconomiâ conspicitur; sed in militari quoque facultate, in Athleticâ, in politicâ, quô referri potest locus Paulinus Rom. 13. 4. Sic & Scaliger non argumentatur ex negatione præcisè usus œconomici, sed ex negatione usus humani simpliciter. De minore syllogismi Scaligeriani non disputo, falsa illa sit, an vera? sed summum virum vindico solùm à metabaseos crimine.

§. 96. Ex defectu tertiæ conditionis non transsiliunt. 1. argumenta Topica, quæ procedunt ex maximis generalium scientiarum, logicæ, metaphysicæ & grammaticæ; ratio, quia quamvis ex aliâ scientiâ procedant, tamen sub obtentu demonstrationis non assumuntur, satis ipsis est opinionem conciliasse. Metabasis autem vitium est demonstrationi oppositum. Et quid hujusmodi argumentis est frequentius? *opposita non possunt prædicari de eodem, E. homo non potest simul ex gratiâ & ex operibus justificari. De quo negatur genus de eo*

nega-

negatur species; de amicitia negatur genus virtutis, quod est habitus, E. *ipsa non est virtus &c.* Nihil in commentariis ac libris omnium facultatum hujusmodi ratiocinationibus est usitatius; nihil itidē insolentius, quam vitiosi saltus easdem accusarē velle. Non 2. ultra crepidas vitiosè saliunt, qui declaraturi rem hujus scientiæ terminos accersunt è scientiâ aliâ & peregrinâ, secus nemo in suam regulam impegerit pejus Aristotele, qui demùm fidelissimè se docuisse existimat, cùm terminis è mathematicâ mutuò petitis docuit. Ita l. 5. Eth. ab Euclide commodato accipit terminos proportionis Geometricæ & Arithmeticæ. Non, inquam, in his hujusmodi peccatur; nam qui illos terminos adhibet non vult demonstrare, sed demonstrationis modum docere, ac forinsecus juvare: aliud omninò est ex peregrinis principiis concludere, aliud terminos adhibere quibus propriā rectè intelligas. Magna igitur superstitio est terminos philosophicos in superioribus facultatibus repudiare, Cur enim habentur pro rejiculis? aut quia 1. sunt termini philosophici, ne sacra illa profanentur si in patellis è luto factis proferantur? an quia 2. impediunt veritatem & intricant controversias? an quia 3. solùm verbis scripturæ loquendum est, neglectis omnibus aliis; an quia 4. hæresibus patrocinantur? Nihil horum concludit; omnia in caducum inclinant parietem. Nam 1. linguarum & artium studia sunt illi cophini Matth. 14: 20. ut testatur Phil. Melan: quibus

quibus manna cœlestis propinatur. Eccur indignior sit philosophia linguâ latina, aut germanicâ, ut hujus beneficio verba Dei enunciari, illius verò terminis explicari minimè possint? Qui nos ab omni humanâ literaturâ abstrahunt, parùm illi certè abeunt à *Becano*, qui hoc nomine insultat nostro *Chemnitio*, sic enim scribit *de justif. c. 2. q. n. 9. Quid sentiant profani auctores de hoc nomine (justificari, χάρις &c.) non multùm refert: malim ego ex Sanctis patribus, quàm ex Plauto vel Terentio discere sensum & interpretationem scripturarum; hoc notent nostri Novatores*, inquit ipse Novator maximus: 2. Tantum abest, ut impediant ejusmodi termini, ut potius juvent & facilitatem docendi, mirum! promoveant. Facile autem aliquid dicitur bifariam; 1. quod nobis & sensui notius est; 2. quo posito, quamvis difficiliori, reliqua per ludum & jocum addiscas: termini illi sunt faciles posteriori modo, absit ut ignaviæ patrocinetur difficultas. Ideò & Rabbini, aliàs hominum superstitiosissimi, ob compendium & facilitatem disputandi confinxerunt quosdam terminos artis, quos in hebræo bibliorum textu non invenias. 3. Tertium argumentum Arianum est, quo orthodoxos semper premere illi conati sunt. Salomon Schvveyger in itinerario suo l. 1. c. 2. refert de Ariano quodam sacerdote, in Hungariæ quodam oppido, nomine Marusch, cujus alloquendi ipsi copia facta est, qui, quamvis Arianus esset, negavit se isti hæresi nomen dedisse, credere se illa, quæ extant in sym-

bolo Apoſtolico, illud tamen inculcare ſuis auditoribus, ne verbis uterentur, quæ in Scriptura S. κατὰ ῥητὸν non leguntur, ut ſunt nomẽ Trinitatis, ὁμοούσιε, ὑποστάσεως; confer Chemnit. loco de trib. perſ. p. 36. Quod ſi igitur terminis philoſophicis uti nefas ſit, ideò, quia ſolum verbis ſcripturæ omnia ſunt enuncianda, ex eâdem causâ quoque illi Eccleſiaſtici erunt rejiciendi: ſi deinde ſolùm verbis ſcripturæ omnia efferenda eſſent, nunquam liceret in omnibus concionibus rhetoricari, quod tamen in patrum homiliis frequens eſt. 4. Abuſum illum terminorum per accidens oriri inde liquet, quia per ſe termini illi hæreſes promoverẽt, idem omnes, & ubiq;, inq; omni materiâ facturi eſſent, cum à per ſe ad de omni valeat conſequentia. E. idem facturi eſſent in philoſophiâ. Ne tamen quenquam decipiant, eorum debitus uſus in ſuperioribus facultatibus, præſertim Theologiâ, exigitur, de quo vide ſis Rev. & Præclariſs. Dn. D. Keſsleri procemium examinis princ. Photinianorum. Nolo actum agere.

§. 97. Denique ex defectu quarti requiſiti, non fit ſaltatio indecora, quando vel 1. Una quæſtio ex diverſis ſcientiis demõſtratur, tùm ſi mixta ſit (non ratione terminorum, ſed ratione principiorum, unde lucem fœneratur) h. e. ita comparata, ut ejus cognitio haberi poſſit ex diverſarum ſcientiarum principiis, e. g. Deum eſſe, non ex revelatione ſolum verbi Dei, ſed etiam ex ſanâ ratione demonſtrari poteſt; lunæ rotunditatem æ-

què physicus ex suis principiis quàm mathematicus è suis probare solet. Non verò hanc metabasin esse, inde cõstat, quia talis quæstio non pertinet ad aliquam definitam sciẽtiam; sed ad plures ex æquo: quamvis enim principia revelationis diversa sint inter se, non tamen peregrina sunt respectu talis conclusionis. Vel 2. cum in aliquâ scientiâ res alterius scientiæ per accidens tractãtur, ut quando Arist. l 1. Phys. c.2. Parmenidem & Melissum, asserentes, omnia entia unum esse, licet ipse dicat, eâ de re agere, nõ esse physici, tamen quasi alium habitum induens, in physicâ ex metaphysicis principiis refutat. Eâdem ratione (quod iterum Aristotelis exemplum est) Chirurgus novit vulnera orbicularia difficulter curari, ita experientiâ edoctus, sed ejus rei probationem petit à Geometrâ, & quando in ipsâ Chirurgia probationem illam edit, tùm non agit ex habitu Chirurgico, sed ex habitu Geometrico. Et quid frequentius, quam Doctorem Theologum, aut Jurisconsultum, excurrere in probationem alicujus quæstionis philosophicæ, aut ejusdem destructionem, idq; induto habitu philosophico: tùm si res suæ scientiæ sine hoc præsupposito commodè explicari aut doceri vix possint. Aristoteles in Metaphysicis per διέξοδον adeoq; per accidens de substantia materiali, in physicis de rebus artificialibus agens; eodem modo excusari debet; Quin & D. Paulus non obscurè significat, à Sp. S. quædam nobis proponi quædam supponi, 1 Cor. 11.14.

11. 14. ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις ἡμᾶς διδάσκει? Non verò in his talibus inepto tripudio saltari, inde patet, quia tametsi ejusmodi demonstrationum principia peregrina sint scientiæ ipsi totali, domestica tamen sint illi quæstioni, quam sciens per accidens tractat, e. g. In Theologiâ suâ occurrit Paulo quæstio Ethica, decorumne sit mulierem retectam orare? virum velato capite, item, a non probrosum sit viro, si prolixos capillos alat? Hanc quæstionem ethicam in mediâ Theologia tractat Paulus, & prius negat, posterius affirmat: idq; ex principio Ethico jure naturæ & gentium (quanquam apud Gallos signum libertatis fuit prolixos aluisse capillos, hinc jus regalis capillitii apud priscos Francos, de quo Hotom. in Francogall. c.2. & Rosin. l.10. antiq. in fin. quin. & apud Romanos tonsura capitis signum fuit servitii, ideò Pers. sat. 3:

——— detonsa juventus
Invigilat siliquis & grandi pasta polentâ.

Et Propert. l.4. eleg.

Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jacet.

Eundem morem fuisse Hebræis colligere est ex Esa. 7. 20. Sed hæc fusius persequi, nostri non est instituti, satis nobis est, ostendisse, ex Paulo id, (quod primò intendimus) Nulla hic metabasis, quia ipsa quæstio non est Theologica, etsi in Theologia tractetur; aliud enim est in Theologiâ aliquid tractari, aliud esse de Theologia.

§. 98. His

§.98. His positis, jam facile est videre, quando μετάβασις committatur, quando secus? μετάβασις autem est in his exemplis. 1. l. 8. Eth. c. 1. Empedocles & Euripides statuerunt, amicitiam consistere in dissimilitudine, quia scilicet ex contrariis omnia entia physica generentur, ἐρᾶν μὲν ὄμβρου γαῖαν ξηρανθεῖσαν amare imbrem terram arefactam 2. Bellarm. l. 4. de V. D. c. 12. concludit, Scripturam S. aut normam non esse, aut continuam esse debere, quia norma mathematica semper sit in continua quantitate. 3. Gretserus in Colloq. Ratisb. p. 293. negat, scripturam judicem esse cõtroversiarum, quia Judex, cum in foro causas definit, ita semper sententiam edit, ut altera pars litigantium sciat se vicisse, altera, causam se amisisse, id quod in scripturâ non fit. 4. Goslav. in refut. Keckerm, part, 2, cap. 8. negat, filium Dei esse æternum, ex eo, quia verbum nominatur. Verbum autem in l. περὶ ἑρμ. ab Aristotele definitur, quod adsignificet tempus, adsignificatio autem temporis stare nequeat cum æternitate. Adduci possent sexcenta alia; In quibus tamen semper distinguenda sunt argumenta ex principio falso ab argumentis μεταβατικοῖς. Sanè si Empedocles hoc modo concluderet:

Omne Ens generatur ex contrariis,
Amicitia est Ens, Ergò
Generatur ex contrariis.

Tum nõ fuisset μετάβασις, sed aliud vitium, de quo in sequenti articulo. Quia autem intelligit omne

ens physicum (ut testatur appositum exemplum quod quidem mutatione physica producitur) verum quidem dicit, sed μεταβαίνει.

ARTICULUS II.

De Argumentis ex principio falso.

§. 99. Omne principium falsum, sive omnis syllogismi propositio, quæ falsa est, vel est falsa simpliciter, atque in totum, in quo scilicet totum prædicatum toti subjecto contradicit; vel secundum quid, in quo prædicatum cum parte subiecti stare, cum toto verò minimè potest. Propositio falsa ex toto est, cum vel expressè ens de non ente, vel implicitè prædicatur. Eiusmodi falsitas in in hoc est argumento:

Normæ partiali potest aliquid addi,
Scriptura S. est norma partialis, E.
Ei potest aliquid addi.

In maiori perinde est, ac si dicas, Non enti potest aliquid addi, quia norma partialis est contradictio in adiecto, hinc argumentum:

Cui quid potest addi, id ens esse necesse est, quid enim addes nihilo?
Non enti, per te, potest aliquid addi, E.
Per te, non ens ens esse, necesse est.

Esse autem normam partialem contradictionem in adiecto, inde liquet, quia norma natura sua est quid totale ac indivisibile; Est enim mensura: ut verò μέτρον ἐστὶ, in quo δοκεῖ μηδὲν εἶναι ἀφελεῖν ἢ προσ-

τιθέναι

πλῆναι.l.10 Metaph.c.1. Ulnæ quidem, ut ligno, aliquid poteſt addi, ſed non ut ulnæ, aliàs ſi ulnæ menſuram extendas, aut decurtes, ulna eſſe deſinet, χρῶνται γὰρ ὡς ἀδιαιρέτῳ τῇ ποδιαίᾳ. ibid. Dices, ſcripturæ V.T. additam fuiſſe ſcripturam N.T. adeoq; normam partialem partiali. Reſp. Eſt ita, ut enim ratione loci Ulnæ variant in materiâ, idque ex inſtituto principum, ita ratione temporum ſe ſcriptura mutavit, & ex tantillâ facta eſt tanta, idque ex inſtituto DEI, cujus ſolius eſt apponere ſuo verbo: ſed inde non efficitur, ſcripturam V.T ideò fuiſſe normam partialem, uti nec ulna ideò non eſt totalis, quia ſæpe materiæ ulnæ aliquid additur: nec eſſentia hominis creſcit, creſcente homine: neque anima in homine aucto antea partialis ſolum fuit. Si enim relatio per ſe mutabilis non mutatur ea mutatione, quâ fundamentum ſuum mutatur, quid mirum, ulnam, (quæ, quà talis, expers eſt mutationis quoad quantitatem) non extendi, extensâ quantumvis quantitate ligni. Prius conſtat, ſumamus enim duo alba, unum ad gradus 8. alterum ad gradus 4. Jam diminuamus album ad gradus octo, diminuetur igitur etiam relatio (ſimilitudo) Ergò quò propius per diminutionem album ab octo recedet ad gradus quatuor, tantò minor erit ſimilitudo utriuſque albi, adeoque quò ſimilius fiet album albo, tantò erit diſſimilius, ſi ſcilicet mutato fundamento relatio quoq; mutatur. Sed hæc ἐκ περιουσίας.

§. 100. Deinde argumenta, quorum principia ex parte ſolùm ſunt falſa, ex parte vera, ea eſſe dicuntur, in quibus prædicatum contradicit ſubjecti quidem parti uni, non item alteri. Reſumamus exempla in ſuperiori articulo allata:

Omnis norma eſt continuum quid,
Scriptura S. non eſt continuum quid, E.
Scriptura S. non eſt norma.

Item: *Omnis judex eſt perſona viſibilis, ore ſententiam eloquens, & expreſſè, uni parti victoriam tribuens, alteram ſuccubuiſſe declarans.*
Hoc vero Scriptura S. non facit, Ergò.

Addamus duo Philoſophica mera:

Omne generabile eſt corruptibile,
Anima, ſi per traducem propagetur, generabilis eſt, E. *corruptibilis.*

Rurſus, inter duo mala eligendum eſt minus l. 5. Eth. c. 3. E. cum homini libinoſo obſtent duo mala, ut aut in lupanar deducendus ſit (quomodo apud Diog. Laert. Crates Cynicus filium inſidias novercæ ſtruentem deduxit, & alius quidã, patet apud Valer. Max l. 7. c. 3.) aut nulli honeſtæ matronæ ac virgini tutis ac illibatis eſſe liceat. Ergò potius ei eligendum erit prius, quod minus mali habet, cum in lupanari nemini fiat injuria, ſitque alicubi talis actio impunis.

§. 101. In primo exemplo prædicatum ex parte verum eſt de ſubjecto, ex parte falſum. Nam quia normæ multæ ſpecies ſunt; de normâ quantitativâ (ut metaphyſici nominant) eaque con-

tinuas habente partes, verum dicit prædicatum, de aliis autem normis non item, ut articulus sequens manifestabit. In secundo exemplo, quia Judex vel est discretivus, vel coactivus, ut ipse distinguit Bellarm. quorum ille discriminat verum à falso, hic justum ab injusto; ideò de unâ judicis istius parte verum est, quod prædicatum affirmat, falsum de alterâ. In tertio exemplo, cum generabile vel producatur generatione eductivâ, vel traductivâ, iterum de unâ permittitur prædicatum verum esse, de alterâ negatur. In quarto denique constat, mala triplicia esse, pœnæ alia, alia culpæ, alia physica, molestiæ scilicet & doloris: si de malis physicis intelligi velit major, bene se habet, quo quidem modo illud axioma ipse philosophus exponit l.3. Eth.c.1. quis enim non mallet pedem sibi amputari, ut totum corpus sartum tectum conservaretur? Et quis non, naturâ duce, objectat gladio manum, quia minus malum est manum feriri, quàm caput: si de malis pœnæ, aut culpæ loquatur, tum fallit. hinc princeps Condæus, cum hoc dilemma proponeretur, aut missam audi, aut elige alterutrum, mortem vel perpetuum carcerem: Neutrum ipse elegit. Alio etiam sensu explicari illud ethicum axioma potest, Inter duo mala eligendum minus, τὸ minus potest intelligi vel de minori intensivo, vel extensivo, seu de minori quali, aut minori quanto, de priori verum illud obtinet, de posteriori fallit: ut non minus jocosè aut sophisticè responde-

rit Democritus, quæsitus, cur duxerit parvam Uxorem? quia, inquit, inter duo mala minus eligendum.

ARTICULUS III.

De solutione Sophismatum materialium.

§. 102. I. Vitia metabaseos duobus modis refelli possunt, vel enim in forma quoque peccant, vel in materia, quâ (non quidem majorem, tamen) minorem habent falsam. Nam struatur syllogismus integer, & apparebit, verùm esse quod dixi.

Omne ens Physicum generatur ex contrariis,
Amicitia est Ens Physicum, vel
Amicitia est ens Ethicum, E.
Amicitia generatur ex contrariis.

Rursus: *Omne verbum logicum adsignificat tempus,*
Filius Dei est verbum logicum, vel
Filius Dei est λόγος substantialis increatus,
Ergò Filius Dei adsignificat tempus.

II. Vitia ex totali falsitate solvuntur solâ negatione, & ostensione, quod prædicetur ens de non ente, hoc ferè modo:

Omnis norma partialis, per se, est ens, quia ei potest aliquid addi, quod non enti non potest.
Omnis norma partialis est non ens, quod probandum est eò modo, quò supra.
E. *Quoddam non ens est ens.*

III. Vitia ex partiali falsitate solvuntur 1. negatione,

tione, ſed hæc non ſufficit. 2. inſtantia quæ eſt quædam negationis ratio, eſt enim ipſa contradictionis demonſtratio, ſive deductio ad impoſſibile æ.g Cum quis pro principio adorat hanc propoſitionem : Norma eſt opus continuum, cogitandum hîc eſt de inſtantiis, quæ quamvis occurrant plurimæ, ſufficiant nobis ſolus ternarius numerus, qui apud veteres fuit menſura quædam & norma perfectionis, (fortaſſis ex antiqua traditione de tribus Deitatis perſonis) hinc Ariſt. l. 1. de cœl. c. 1. t. 2. *τὰ τρία πάντα ἐστὶ καὶ τὸ τρὶς πάντῃ.* Et Virg. in ecl. —— *Numero Deus impare gaudet.*
Et de ſacris gentilium notus verſiculus eſt,

Ter libo, terq; hæc pronuncio myſtica verba.

Nec abludit germanicum proverbium. Aller guter ding müſſen drey ſeyn. Hactenus igitur quæſita eſt inſtantia, quæ propoſitioni tuæ univerſali è diametro contradicit, nam *ἀντιφατικαὶ* ſunt hæ duæ : Omnis norma eſt opus continuum. Quædam norma (nempe numerus ternarius, qui diſcretus eſt) non eſt quid continuum. Argumentum ex inſtantia evidentius ita formabitur :

Omnis norma, per te, eſt opus continuum.
Quædam norma (nimirum numerus ternarius) non eſt opus continuum, E.
Quoddam non continuum eſt continuum.

Concluſio eſt contradictoria, & falſa; cauſa igitur falſitatis in alterutra latet præmiſſa: non minori, ut probatum eſt, Ergò in majori. Eadem ratione etiam ad argumentum de judicis viſibilitate inſtantia veſtiganda eſt:

Omnis

Omnis Iudex est persona visibilis, sententiam determinatam ad certum individuum ore proferens.

Assumo. *Quidam judex non est persona visibilis &c.*

E. Quidam non visibilis est visibilis.

Doceo minorem ex ipsâ Philosophia: Intellectus utique logicâ imbutus, est judex omnium controversiarum philosophicarum; quid enim aliud docet logica, quàm judicare & discernere verum à falso? At intellectus est spiritus invisibilis. Quid si mutus controversiam aliquam secum ipso ruminaret & dirimeret, annon judex esset? Quid si quis ἀυτὸς ἐν ἀυτῷ ζητῇ μέχρι ἂν ὑ μηκέτι ἀντιλέγειν ἀυτὸς ἀυτῷ, quod contingere posse nos Aristoteles docuit l.2. de cœl. c.12. t.80. & l.8. Top. cap.4. nemo tunc sententiam suam foràs prodit, judicat tamen, & omnes partes boni judicis discretivi absolvit. Mera stultitia est, si quis excipere velit, esse diversam rationem; quia tu loquaris de judice politico, ego verò assumam de Judice logico; Nam annon 1. vides quò alienior mea instantia est, tantò tuam propositionem magis esse falsam, tantò me fortius contradicere? Instantia si similium sit, non est instantia, quæ non in rerum similitudine, sed contradictione fundatur. Sed hac de re etiam supra. 2. si de judice politico tibi sermo sit, jam vitia in contraria curris, scilicet μετάβασιν, ut ab initio hujus articuli demonstratum fuit. Illud etiam hîc observandum est, Instantiam legitimam esse, si maximè petatur è re, quæ de facto non est, modò eam esse divinitus

tus contingere possit. Nam qui propositionem majorem ponit, nihil excludit, quod subsumi potest. Quare rectè etiam ista major; de quâ nobis sermo, infringetur, si ponas casum, totum ac universum mundum Christo nomen dedisse; quod si de ratione judicis esset, omnes controversias in Individuo ore dirimere; tùm etiam papæ incumberet, ut quæcunq; controversiæ fidei apud Antipodes suos occurrunt; illas ore dijudicaret, & huic parti victoriam ascriberet, illam victam esse declararet, quod quàm futurum sit impossibile nemo non videt. Prius enim res in nervum erumptura esset, quàm remedium mali à vicario Christi sperari posset. Eadem solvendi ratio quoque in tertio exemplo adhibebitur:

Omne generabile est corruptibile,
Filius Adæ (si perseverasset in statu innocentiæ) non fuit corruptibilis, aut mortalis. E.
Filius Adæ in statu innocentiæ non fuit generabilis,

Contradictio hæc est; Nam quomodo non fuerit generabilis, qui de facto fuit generatus? Denique iisdem armis oppugnandum quoque quartum est pseudographema. Nam si inter duo mala moralia, seu peccata, sine vitio licet eligere minus, tùm imposterum peccatum impune perpetrabitur, nullum enim ferè est, quin si cum alio comparetur, minus sit culpabile, uti omninò certi peccatorum gradus sunt. Undè verò istiusmodi instantiæ depromendæ sint, nullus te vel

Lul-

Lullius in ſuis circulis, vel Ramus in ſuis locis exactè docuerit; totum hoc petendum eſt ex cujuſvis diſciplinæ meditullio, in quâ ipſi termini ſunt domeſtici, vel ex aliâ ſcientiâ, quam nemini in dubium vocare fas ſit. Quin potius impedit, Diſputantem ad circulos ejuſmodi vel locos ſemper currere: ſicut fieri non poteſt, ut celeriter ac inoffenſo pede procedat in legendo, cui de ſingulis literis eſt in conſilium eundum. De inventione inſtantiarum illâ coactâ placet nobis, quod in ſimili de Europâ & Inventione medii termini ſcribit *Hurt. Mendoza, diſp. log.* 10. *ſ.* 24. §. 146. *Omitto (inquiens) artem inveniendi medium; quia nugis ſcatet, quam ſi vocant pontem aſinorum, arbitror non tam in auditores, quàm in præceptores dictum. Quid enim turbant animos? aut qua poteſt eſſe ars inveniendi medium, niſi aut ingenii acumen? aſſiduum ſtudium & crebra exercitatio? &c.*

§. 103. Tertius denique modus reſpondendi eſt per diſtinctionem, neque enim primo ſufficit negaſſe propoſitionem falſam, ſed edenda quoque negationis ratio eſt, quod fit inſtantiâ datâ, ſed nec hæc rem omnem abſolvit. Nam quia propoſitio non ex omni parte falſa eſt, ſed ex parte etiam vera, ſi ſcilicet prædicatum de aliâ ſubjecti parte enuncies, hinc tertiò diſtinctione opus eſt, quâ factâ hoc ſenſu propoſitio admittatur, illo repudietur. Quamobrem ita reſolvendum argumentum eſt: Norma vel eſt quantitativa, vel perfectiva: illa prior vel eſt quan-

quantitatis discretæ vel continuæ: Nunc de hac postremâ concedo majorem, de primâ & secundâ eandem nego. Concessâ autem istâ majore ex pseudographo fiet μετάβασις; ut cuivis conspicuũ est. Eodem modo reliquorum argumentorum principia sunt dispescenda. Verum hæc omnia in praxi ipsâ erunt unicuivis clariora: optimè enim de suis discipulis meretur, qui quam brevissimus est in præceptis logicis, (quæ sine usu sterilia sunt) multus verò & assiduus in usu logicæ declarando; ut ad id auditores perducantur, ut inveniant ipsi, quod in alio argumento necessitas postulat, *quid enim aliud agimus*, inquit Quintil. l. 2. c. 5. *docendo alios, quam ne semper docendi sint. Sicut de re militari, quanquam sunt tradita quædam præcepta communia, magis tamen proderit scire, quâ ducum quisque ratione, in quali loco, tempore, sit usus patienter, aut contra. Nam in omnibus fere minus valent præcepta, quàm argumenta.* Et sanè quid aliud sunt præcepta sine usu, quam cænæ Heliogabali quas parasitis suis, nunc è metallo nunc ex ebore instruxit, quibus non palatum, sed visum pascerent? Ideoq; ad manus sumatur aliquis, quicunq; tandem sit tractatus, exigatur ejusdem analysis, (non illa Ramistica, quæ dispositionem solùm quærit, & argumenta topica indagat, quæ tanti momenti non est, sed cumprimis,) logica Aristotelica, quâ consideratur 1. quid sit in quæstione? rectène 2. auctor aliis contradixerit? an 3. bonâ consequentia talem conclusionem deduxerit? an

an 4. in materiâ nihil peccaverit &c. quæ nemo rectius ipso usu docuerit: superest adhuc Justa Et Vitiosa Interpretatio Principiorum, quæ quo modo instituenda sit, omninò ad logicam spectat, cujus est omnem modum sciendi aperire; nemo autem negare potest modum interpretandi esse modum sciendi. De hoc ferè nihil nobis Aristoteles reliquit, quia de principio aliquo scripto, quale nos duplex habemus Scripturam sc. Sacram & Corpus juris, nihil ille quicquam scivit, ut à cordato quovis impetrare possit, id, quod ipse in calce sophisticorum elenchorum petit. Τοῖς παραλελειμμένοις συγγνώμην. Interea vale, mihique idem quod nos omnes Aristoteli largimur, largire:

Τοῖς παραλελειμμένοις συγγνώμην.

PARALIPOMENA

Ad sect. I. *artic.* 3.

CRellius in l. de Uno Deo patre, ut æternam Christi Deitatem destruat, in acie θεομαχίας collocat dictum Christi Joh. XVII. 3. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum; & quem misisti Iesum Christum &c.* Hîc, inquit, *nemo dubitat, Veri Dei nomine Deum summũ intelligi. Quare cum Christus patrem suum ita describat, ut eum solum verum Deum dicat, intelligitur patrem Christi solum esse Deum summum.* Sed advertendum τὸ

Solum

Solum, pertinere non ad *Te*, ſed ad *Deum*. non hic ſenſus eſt, ſolum te Patrem eſſe verum Deum, ſed Te patrem eſſe illum ſolum verum Deum, qui pro vero Deo habendus ſit. Finge enim τὸ Solum referri ad te, jam Chriſtus non modo non ſummus, ſed ne verus quidem Deus fuerit, contra expreſſum teſtimonium 1. Joh. 5. 20. Erunt igitur Photiniani Idololatræ, cum Chriſtũ adorant ut verum etſi non ſummum Deum. Jam, ut non ſequitur, cum dico; vinum Wormatienſe eſt illud verum Rhenanum vinum, Ergo Baccheracenſe non eſt verum Rhenanum vinum; vel oſtenſâ à Pharmacopæo particulâ unicornu, hoc eſt illud ſolum verum unicornu; Ergo quæ alibi ejuſdem unicornu particula habetur, non eſt: Ita non ſequitur pater eſt ille ſolus verus Deus. E. Filius non eſt ille ſolus verus Deus. Referamus autem excluſivam ad *Te*, nondum tamen obtinent θεομάχοι quod volunt. nam ſi quis digito oſtendat Ferdinandum II. & dicat, per victoriam Pragenſem factum eſt, ut nunc Bohemi te ſolum agnoſcant verum Regem (non Fridericum, non alios) Ergo Ferdinandus III. non eſt Rex Bohemiæ: Ita non ſequitur, ut agnoſcant te ſolum E. Filius non eſt ſummus Deus. *Sic nemo novit patrem, niſi Filius* Matth. 11. 29. h. e. ſolus Filius novit Patrem. Ergone pater ſeipſum non novit? μόνος θεὸς καὶ δεσπότης χριστὸς. epiſt. Jud. v. 4. *Tantum in te* (Meſſiâ) *eſt Deus*. Eſa. 45. 14. *excludit igitur excluſiva non incluſa ſed oppoſita.*

Donec, usque, usque dum in omni lingua vel est *Exclusivum vel continuativum*: *Exclusivum* in propositione affirmante: liquidò exponitur per τὸ *Post, non amplius*, in negante per τὸ *Post vel post amplius.* e.g. *Mulier esto immunda, donec completi fuerint dies purgationis* suæ; h. e. post completos illos dies non amplius erit immunda. Lev. 12.4. Item in Negante, Non *auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat Schilo*, hoc est, cum venerit Schilo, post auferetur sceptrum. Gen. 49 Confer Gen. 19.22. Job. 14. 12. 2. Thessalonic. 2. 3. *Continuativum* in propositione affirmante exponitur *per semper*; in negante *per nunquam*; e.g. *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, h. e. *semper sede*: Psalm. 110. confer Psal. 123.2. Matth. 28 20. Actor. 3.20. 1. Tim 4.13. *Rursus, Ioseph non cognovit Mariam, donec peperit filium suum primogenitum* h. e. *nunquam* Matt. 1 25. Confer. Gen. 28.15 2 Sam. 6 23. Esaiæ. 22.14. cap. 42.4. Matth. 5 26. Pseudhermenia τοῦ *donec* accepti exclusivè cùm continuativè debuisset, & cōtra, enormium errorum causa est: e.g. in *Exclusivo pro continuativo*, *homo non resurget* (scil. è somno metaphorico) *donec non fuerint cœli* Job. 14. 12. h, e. nunquam resurget homo, quia cœli semper erunt, ita habet glossa ψευδερμηνευτικὴ Piscatoris ad h. l. p. m. 121. Contra in *continuativo pro exclusivo, non exibis donec reddas novissimum quadrantem*, Matth. 5 26. Ergo postquam redditurus es, exibis ex purgatorio; ait *Corn. à Lap.* ad h. l. pag. 140. *Ad Purgatorium enim inclinat vocula donec*;

hæc, quæ finiendam significat pœnam; hæc enim finitur in purgatorio, cum in Inferno nunquam terminetur sitque æterna.

Ita Τὸ *Vnus* habet vim excludendi cum virtualiter oppositionem involvit. Cum olim in Colloq. *Bernensi Martin. Bucerus*, probasset e scripturis; Christum solum esse caput Ecclesiæ, nullius vicarii indigum, ex illis locis quæ asserunt unum esse DEUM, unum esse Mediatorem Christum; Tum ejus adversarius Der Beichtvatter hæc regerit (in Handlung oder Actis gehaltener disputation zu Bern pag. m. 20) Ich hab begert ein Text, der da anzeigte das Wort / Einzig / seind nur Text bracht / die da sagen Ein / ein redlicher Teutscher weiß / daß ein grosser Underscheid ist under Ein und Einzig / Einzig schleußt alle andere auß / Ein laßt ein andern bey ihm bleiben / und wird warlich gesagt / wann zween seind / Einer ist / es wird aber nicht wahr gesagt / ein Einziger ist. Bucerus: Dieweil niemand überal ist / der das hab / daß zu einem Haupt der Kirchen gehört / nemblich der sie seelig macht / dann allein Christus: so folgt je klärlich / daß man sagen muß das einzig Haupt. Darzu dieweil niemand mittlen kan zwischen Gott und den Menschen / dann allein Christus: so gilt aber das Wort ein Ein Mittler / so viel als Einzig / Also ich glaub in einen Gott, da ist aber Ein / und nicht Einzig / und gilt aber dennoch das Wörtlein Ein / so viel als Einzig: Dann niemand wird ihm ein nebens Gott bekennen. Latini, ut exclusivam hanc indicent;

utitur phrasi *unice, unus*. Plautus in Sticho

Adeo unus qui unice
Ex omnibus perhibetur civis probus.

Ad sect. I. *art.*3.*p.*75.

Ab exceptivâ adversativè exceptâ, ad exclusivam, valet consequentia, non item ab exceptivâ propriè dicta. B. Lutherum in Cap. III. ad Rom. v. 28. τὸ Allein evidentiæ causâ (quâ exclusiva in immediatè oppositivâ virtualiter contenta evolvitur) interposuisse; alibi à nostratibus ostensum est. *Dices*, quî igitur factũ, quòd non per eadem exclusiva verba τὸ ἐὰν μὴ exposuerit Lutherus in Galat. 2. 16. annon eandem exclusivam exegerit eadem evidentiæ ratio? wir wissen daß der Mensch durch das Gesetzes Werck nicht gerecht wird/ sondern durch den Glauben an Jesum Christum. Cur non addidit als allein? *Resp.* ingens differentia evidentiæ. Tametsi enim τὸ ἐὰν μὴ hoc in loco inferat exclusivam (agnoscente Salmerone disp. 25. ad Gal. cujus verba adducit D. Gerh. l. 2. Conf. cath. part. 3. p. 1662. adde Thomam & Sasbout apud Corn. à lap. ad h. l. Confer Marc. 2. 26. cum Matth. 12. 4. Marc. 13. 32. adde alia ex ipsismet Romanensibus observata à D. Gerh. ib.) tamen quia τὸ ἐὰν μὴ non semper exclusivum est, sed nude exceptivum, ideo denuò evidentiæ studio motus Lutherus reddidit adversativè, approbante Corn. à lapid. ad h. l. atque sic prævenit cavillationi *Gretseri*, cujus hæc est in *D. Iohann. Pappum*

inve cti-

invectiva in l. 2. de jure & more prohib. c. 12. *Objicit prædicans, esse idem omnino, non justificari nisi per fidem cum isthoc, sola fides justificat. At quis hæc præter prædicantes dicit? Homo non vivit nisi per respirationem, E. per solam respirationem: Homo non vivit, nisi per potum. E per solum potum: Domus non subsistit nisi per muros, E. per solos muros: non pervenitur ex media Germania in Britanniam nisi per mare, E. per solum mare, ut alia hujus generis infinita prætereram, quæ prædicantium insipientiam manifestissimè redarguunt*, hæc ille παραλογίζων. Nam quæ adducit exempla sunt propositiones propriè exceptivæ: Consequentia D. Pappi est ab exceptivâ adversativè accepta. Sic, inquam, prævenit Lutherus cavillationi; Si enim vertisset als allein / potuisset sensus esse, quem Corn. à Lap. loc. cit. indicat, hominem non justificari ex omni opere legali, nisi illo solo, quod fidem consequitur, ut proles matrem.

Ad Sect. 2. artic. 4.

DE PRÆEXERCITAMENTIS.

Ad locos progymnasticos omnino referendus locus *proverbiorum*, qui quantum in disserendo valeat, Doctorum judicio Mart. Delrio in *prolog. adag. sacr. p. 11.* probat. Trium, inquit, testimonio stet hoc verbum. *Fabius* l. 5. Instit. sic scribit; *Ne hæc quidem vulgò dicta, & recepta persuasione populari, sine usu fuerint testimonia; Sunt enim quodammodo potentiora etiam; quod non causis accommodata, sed liberis odio & gratia mentibus ideo tantum dicta*

facta, quia aut honestissimæ aut verissimæ videbantur. Hoc ipso quod incertum authorem habent, velut omnium fiunt. Neque durassent hæc in æternum, nisi vera omnibus viderentur. Plutarchus in libro, *quo pacto sint audiendi poetæ*, veterum Parœmias docet sacrorum mysteriis persimiles esse; in quibus maximæ & divinæ res minutis signis, ac ritibus in speciem penè ridiculis significabantur. Sic adagiis curtis & succinctis ea vulgò & compendiosè indicari, quæ à Philosophiæ principibus multorum voluminum sctiptione sunt declarata. Aristoteles apud Synesium existimat, nihil aliud esse parœmiam, quam reliquias illius veteris Philosophiæ, maximis humanarum rerum cladibus extinctæ: easq; servatas esse, partim ob compendium brevitatemque, partim ob festivitatem & leporem, ideoque nec segniter, nec oscitanter, sed pressius atq; penitius inspiciendam: subesse enim velut igniculos quosdam vetustæ sapientiæ; quæ in pervestiganda veritate multo fuerit perspicacior, quàm posteriores Philosophi fuerunt.

Ibid. ad pag. 133. ad consequentiam à genere ad speciem, quæ valida est à genere analogo τῦ ἀφ' ἑνὸς, non item à genere univoco, exemplo id ostendimus in Mysteriosophia sect. 3. art. 3 p. 859.

Ad Sect. 2. *artic.* 5.

DE ÆQUIVOCATIONE.

Fur aurum: Virgo flores, mare navita, libros
Clericus, æquivoce singula quisq; legit.

Ad

Ad Sect. 2. c. 2. art. 12. p. 196.

Exemplum propositionis seipsam falsificantis, ut Barbari loquuntur, in suo disputatorio l. 8. strom. *Clem. Alexandr.* proponit. p. m. 759. Apud *Pyrrhonios*, inquiunt, *Est* ἐποχὴ, *hoc est, assensionis sustentatio quæ vult nihil esse firmum vel stabile; Ea si à se ipsa inceperit, clarum est, quod primum seipsam infirmabit. Aut ergo dat aliquid esse verum, & non est de omnibus sustinenda assensio: aut persistit, dicens, nihil esse veri, & est perspicuum, quod nec ipsa prius verum dicet: aut enim ipsa verum dicit, aut non. Sed si verum quidem dicit, concedit vel invita, esse aliquid veri, sin autem non verum dicit, vera ea relinquit, quæ volebat tollere de medio. Nam quatenus falsa ostenditur, quæ perimit* Epoche, *seu assensionis sustentatio, eatenus vera esse ostenduntur, ea quæ perimũtur, quomodo somnium quod omnia somnia dicit esse falsa: nam cum se ipsam perimat, confirmat alia. Et in summa, si est vera, ducet à seipsa principium, cum non sit alicuius alterius sustentatio assensionis, sed primum sui ipsius. Deinde si comprehendit, quod sit homo, vel quod sustinet assensionem, est perspicuum eum non sustinere assensionem, quomodo autem respondit etiam ad rogatum? nam clarum est, eum de hac non sustinere assensionem. At qui se sustinere assensionem pronunciat, quod sequendo si oporteat nos de rebus omnibus sustinere assensionem. de ipsa assensionis sustentatione assensionem primum sustinebimus, sit ne ei credendum, an non. Præterea, si hoc ipsum verum est, eum verum nescire, neq; omnino veri quicquam ab*

illo datur. Si autem hoc quoque dicet dubitabile verum ignorare, eo ipso dat, verum cognosci posse, quod suam de ipso assensionis sustentationem videatur non confirmare. Ita pater, filio præterito, Titium hæredē instituit in solidum, excepto illo quod Titius lubens vellet. Pater moritur! Filius apud judicem conqueritur, de testamento inofficioso. Judex, explorata testamenti sententia, percontatur ex Titio, quid vellet? Respondet Titius, totam hæreditatem. Ergo, inquit Judex, ex testamento dato filio quod tu velles, h.e. totam hæreditatem.

Ad Sectionem 2. *art.* 8. *ad* παρέκβασιν *quomodo, conditio nil vel aliquid ponat inesse?* liceat advertere quod notavit

Bertius in hymenæo desert. p. 54. respondens ad instantiam hypotheticæ, (nil ponere inesse) has esse hypotheticas, si justus deseruerit justitiam suam, morietur, Respondet, *Quis nescit omnem hypotheticam, quæ promissionem & comminationem habet cum conditione rei alicujus præstandæ, licet nihil determinati statuat, de singulari aliqua persona inesse, Tantum semper ponere potentiam. Talis enim hypothetica plura in se continet effata, quatuor categorica & totidem hypothetica, v.g. si hæc:*

Si justus averterit se a justitia sua morietur, continet comminationes istas, Fieri potest ut Iustus se avertat à justitia 2 fieri potest, ut justus moriatur 3 fieri potest, ut justus non moriatur.

Ad Sect. 2. artic. 9.

DE SYLLOGISMO COPULATIVO & disiunctivo, adde illud Gellii l. 16. c. 8.

In omni autem conjunctione, si unum est mendacium, etiam si cætera vera sunt, totum esse mendacium dicitur. Nam si ad omnia, quæ de Scipione illo vera dixi, addidero, & Annibalem in Africa superavit, quod est falsum: universa quoque illa, quæ conjuncte dicta sunt: propter hoc unum, quod falsum accesserit, quia simul dicentur, vera non erunt.

Ad Sect. 2. artic. 12.

DE ORATIONIBUS Logicis.

Orationes enunciativas à non enunciativis distinctas è veteri dialecticâ observare videtur. *Gellius* l. 16. noct. c. 8. *Proloquium est sententia, in qua nihil desideratur; erit autem planius, quid istud sit; si exemplum ejus dixerimus. ἀξίωμα igitur, sive id proloquium dicere placet: hujusmodi est. Annibal Pænus fuit. Scipio Numantiam delevit. Milo cædis damnatus est. Neque bonum est voluptas, neque malum. Et omnino quicquid ita dicitur, plena atq; perfecta verborum sententia, ut id necesse sit aut verum, aut falsum esse, id à Dialecticis ἀξίωμα, id est oratio verum aut falsum plenè significans, appellatum est a M. Varrone sicuti dixi, proloquium. A Marco autem Cicer. pronunciatum.*

INDEX CAPITUM GENERALIS.

CAPUT II.

De generalibus praecognitis.

CAPUT III.

Continens disputatoris specialia.

Artic.

SECTIO III.

De malitioso Sophista.

CAPUT I.

Continens naturam & præcognita Sophisticæ in genere.

CAPUT II.

Continens specialiorem & accuratiorem Sophismatum detectionem. De primo Sophistarum Epicheremate seu aggressu.

CAPUT III.

De tertio Sophistarum Epicheremate quo mala ac in formâ vitiosa consequentia argumentantur.

2. ex

CAPUT IV.

De Sophismatibus materiæ.

INDEX

INDEX RERUM SPECIALIS.

A.

Quonio-

Compa-

ratio

Dispu-

non

Refu-

Sophi-

Valla





9. Hemden.
3 Paar machettes
2 Strauß Messer.
5 Halstücher
2 Schnupftücher
1 Degen.

